Juynboll, Theodorus Guilielmus
Iohannes
Oratio de Henrico Arentio
Hamakero

THEODORI GUILIELMI IOHANNIS IUYNBOLL

ORATIO

DE

HENRICO ARENTIO HAMAKERO,

STUDII LITERARUM O. O. IN PATRIA NOSTRA
VINDICE PRAECLARO,

DICTA PUBLICE

DIE XXI SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVI,

*QUUM ATHENAEI, QUOD FRANEQUERAE EST,
REGUNDI MUNUS SOLENNI RITU DEPONERET.*

GRONINGAE, APUD
I. O O M K E N S,
Academiae Typographum.
CIƆIƆCCCXXXVII.

L. S.

Hanc Orationem, cuius quasdam tantum partes pronunciavi, ut benevole excipias, etiam atque etiam rogo. Cum enim probe intelligam, quantum ei ad perfectionem defuturum fuisset, si optima mihi in scribendo uti contigisset valetudine, ita nunc ei, scriptae quippe a me, febri plurimum correpto, multo plura deësse suspicor. Ceterum HAMAKERI Laudator, *quemadmodum esse nequeo, ita etiam nolo haberi. De Praeceptore egi, ut animo meo satisfacerem. Cuius tantus erat impetus, ut aliud argumentum eâ publice dicendi opportunitate tractare non possem. Piae autem eius memoriae recordationi indulgenti, hoc perpetuo mihi ob oculos versabatur, ut, de eo dicturus, non adeo in Virorum Eruditorum, sed potius in* Tironum *gratiam*, futurorum, *inquam*, Literarum O. O. cultorum, *HAMAKERI imaginem studiorumque eius rationem adumbrarem; quibus expositis, hi haberent, quod imitarentur, exemplum, et ad quod hi ipsi se conformarent. Idem illud consilium nemini quoque non conspicuum est in* Annotatione. *Quam addendam esse duxi, ut multa, quae in Oratione breviter*

commemorari ac tangi modo potuerant, ipsis magis explicarentur. Hac tamen occasione nonnulla copiosius exposui, quo Exterorum *de rebus nostris notitia, quae exilis plerumque et manca est, emendetur simul et amplificetur. Multa denique de* HAMAKERO *dedita opera omisi, non dubitans, quin fusius aliquando meliusque, quam a me exigi possit, haec postea tradantur.*

Viros reputanti, Scholae Franequeranae olim ornamenta, hoc quinquennio morte sublatos, praeter VOORSTIUM *et* HAMAKERUM, NICOLAUS SMALLENBURG *et* GABINUS DE WAL *sua sponte etiam mihi in memoriam redierunt. Quorum ille ab anno 1788 per biennium in Academia Frisiaca, deinde in Academia L. B.; hic vero per 5 annos in Athenaeo Franequerano, postea in Academia Groningana Iurisprudentiam egregie docuerunt.*

Hos vero cogitanti, mihi etiam perpetuo ob oculos erat alius Vir Doctissimus, omnibus, quotquot eum cognoverint, dilectissimus, Discipulis suis praesertim, in iisque mihi, carissimus, IOHANNES KAPPEYNE VAN DE COPPELLO. *Nisi enim, ut mihi aliquando ipse declaravit,* WYTTENBACHII *spes irrita prorsus cecidisset,* COPPELLO *etiam ad docendi munus in Athenaeo Franequerano fuisset vocatus. Quo facto eam provinciam praeclaro, quo praeditus erat, ingenii acumine, et magnâ eruditionis copiâ profecto exornaturus, ac Iuventutem Academicam illâ suâ comitate, animi candore, morum simplicitate, insigni, verbo, quotidianae consuetudinis amabilitate totam quoque sibi devincturus fuisset. Gymnasium Haganum quid ipsi debeat, notum est; quod instaurasse, et, ut ita dicam, denuo condidisse, atque ad illud, quod hoc numquam antea attigerat, gloriae fastigium evexisse merito dici potest. Tali autem Doctore, tali Cive non indignos se praestiterunt Hagani. Vivus omnium fruebatur aestimatione, eoque mortuo, frequentes erant per totam urbem lacrymae; gravesque singultus illud comitabantur funus perhonorificum, quod perpaucis cum illo commune esse solet. In primis vero luctu pressi erant eius Discipuli, quos inter quod ipse fuerim, quotidie me felicem praedico. Nullus enim dies elabitur, nihil fere elaborandum suscipio, quin optimus ille meus Magister mihi iterum iterumque in mentem recurrat. Namque ea eius erat docendi ratio, ea sermonum eius commerciique quotidiani suavitas utilitas-*

que, ut fieri non posset, quin eorumdem efficacia in ea etiam studia se exsereret, quae a studiis eius erant aliena. Veterum Scripta quam egregie interpretabatur! Eo interprete, eorum, cum Poëtarum, tum Historicorum et Philosophorum amore quisque capiebatur. Quos omnes cum grammatice explicaret, cumque de Gentium veteris aevi, Graecorum maxime et Romanorum, historia pragmatice et philosophe, iucundissime et summa cum voluptate dissereret, nemo sane erat, si modo bene attenderet, quin Grammaticen et Historiam mente animoque totus amplecteretur, eiusque institutionis vim salutarem in studiis universis deinde perpetuo animadverteret.

Ut de Veterum, ita quoque de Recentiorum Scriptis, et de rebus sive recentiori memoria, sive nostra aetate gestis ac probabiliter futuris loqui solebat erudite, subtiliter, prudenter et moderate. Neque, Doctoris umbratici instar, studiis *solis erat deditus, atque res vitae communis, iis postpositas, negligebat. Si quis enim, quid in his sibi agendum esset, eum consuleret, semper paratum eum inveniebat. Acutum in his etiam eius erat iudicium; sententia, quam ferret, bene expensa; consilium, quod traderet, experientia mox probabat. Non mirum igitur, quam plurimos hanc ob causam eum adiisse, nec unam modo Societatem, socio eo creato, huius perspicaciae atque indefessi laboris fructus percepisse uberrimos. Quorum oblivio Cives Haganos numquam capiet; at minime etiam eos illius Discipulos, qui talem ac tantum eum mecum experti sunt, ac vitam degunt, cuius pars magna, ut equidem sentio, ille fuit et esse numquam desinet. Non alium illi mecum Doctorem vitaeque Ducem sibi exoptassent. Veri, pulchri et honesti sensus in animis nostris excitatos ita alebat, iudicium ita acuebat, mentem animumque Veterum amore atque suis praeceptis ita imbuebat, ut nemo melior illo auctor existeret, ut, quaecunque quisque in posterum agitaret, haec bene ipsi cederent. Verum, licet me vix contineam, quominus de argumento, mihi adeo dilecto, et cum* HAMAKERI *recordatione coniunctissimo* (1), *plura dicam, mihique temperare non potuerim in his, qui-*

---

(1) Dissertationem meam *de Amoso* (L. B. 1828 4to) edidi cum epistola, ad hunc Magistrum meum missa, in eâque de HAMAKERO multis locutus sum.

bus a morte inde Viri desideratisssimi animus meus obrutus erat, publice quodammodo enunciandis, nunc tamen, eoque lubentius mihi in his acquiescendum esse existimo, quo uberius ac dignius eius memoria ab aliis iam dudum celebrata sit (2). *In his fuisse Virum Doctissimum,* COPPELLONIS *Amicum integerrimum,* CASPARUM BAXIUM, *omnes profecto laetantur; qui, si quis alius, eum cognovit; quemque eius locum tenentem, cum illius, tum grati ipsius Discipuli magno cum gaudio ac vero pietatis sensu vident.*

Scripsi Franequerae ipsis Calendis Novembribus anni MDCCCXXXVI.

---

(2) C. BAX, *Laudatio viri Doct.* IOH. KAPPEYNE V. D. COPPELLO, *Hag. Comit.* 1833, et M. SIEGENBEEK *Hand. der jaarl. vergad. v. d. Maatsch. der Ned. Letterk. te Leid.* (1833) p. 40—47.

Post quinque annos iterum ex hoc loco verba facturum, Virorum, qui Scholam Franequeranam olim ornarunt, hoc vero temporis spatio diem obierunt, me subit cogitatio. Quam cum instauro, in eam duorum in primis recordationem venio, ut dolore frangar, gratique erga hos animi et pietatis sensibus, ad publicam ipsorum commemorationem impellentibus, obsequi cogar. Ex his alter insigne fuit Academiae, primum Frisiacae, deinde Lugduno-Batavae, decus, IOHANNES VOORSTIUS. Quem Vestrum nonnulli, Auditores! per novem, quos hîc degit, annos cognitum, magni iam aestimarunt, cuius ingentem eruditionem omnes deinceps admirati sumus, cuiusque magna merita cuncti celebrant. Huius laudes, a Clarissimo HENGELIO egregie dudum expositas, me, si possim digne, nunc esse retractaturum, nemo sane exspectat. Hac enim VOORSTII *Memoriâ* ut VOORSTIO monumentum conditum est perpetuum, ita Vir Celeberrimus monitis suis et praeceptis in meo animo animisque omnium Discipulorum vivit perpetuo, nec umquam scriptis suis vivere desinet.

Huius Viri obitum reputantes, A.! gravem quidem iacturam dolemus, at Deo O. M. gratias simul agimus, talem Virum ad senectutem usque nobis servanti incolumem. Ad quam utinam et alter, cuius mortem lugemus, Doctor pervenisset, sed — hunc ipso aetatis flore vis vehementissimi morbi inopinato oppressit et velut prostravit.

Est annus circiter, A.! ex quo dilectissimum illud carissimumque HAMAKERI caput desideramus, sed illatam nobis huius morte cladem, quo saepius reputo, eo graviorem esse arbitror. Etenim quantum exinde detrimenti ceperit Literarum respublica, quantum Literae O. O., quantum Academia Leidensis, quantum eius Discipuli, in iisque ipse ego, verbis declarare nequeo. In hac cogitatione, etsi me commoventi semper ac perturbanti versor tamen saepissime, eademque, quoties, quae Praeceptori debeo, summa omnia mihi repraesentat, toties, ut exsistat, qui elogium, tanto dignum Viro, nobis largiatur, opto ardenter. Quod etiamsi aliis conscribendum relinquo, immo, mea utpote non voluntate, sed facultate gravius, relinquere cogor, altum tamen de Magistro dilectissimo silentium observare, ac de eo nonnulla, qualiacunque tandem, hac opportunitate pro meis viribus non dicere, neque possum, neque sinit animi impetus. Ac profecto urbs, in qua habitamus, aedes, quae nos hodie coniungit, locus, ex quo verba facio, munus, quo fungor, Vestrum quorumdam voces, A.! sua sponte haec me invitant, adigunt, compellunt, ut hocce mihi eligam argumentum. Quo nullum etiam nunc mihi est gratius, nullum profecto omnibus, quotquot Defuncti memoriam colant, sine dubio acceptius. Vestram modo benevolentiam, A.! invoco atque imploro. Dicam de HENRICO ARENTIO HAMAKERO, *studii Literarum O. O. in Patriâ nostrâ vindice praeclaro.*

Ab eo inde tempore, quo Proavi nostri institutionem publicam Academiis condendis emendaverant, cum Literae Graecae et Latinae tum O. O. non modo diligenter et perpetuo a Nostratibus colebantur, sed etiam, quod Exteri profitentur, *harum* quoque sedes praecipua per longum tempus Patria nostra fuit. Initio illi in his docendis rationem sequebantur, minime quidem probandam, at unice tunc receptam, rationem, volo, Magistrorum Iudaicorum, linguam Hebraicam ex solis Hebraicis et perperam insuper explicantium. Non tamen deerant Viri, melius sapientes, et suis aequalibus multo sagaciores. In his IOSEPHUS IUSTUS SCALIGER, et DRUSIUS noster, primum Lugduno-Batavae, deinde Frisiacae Academiae ornamentum praeclarum. Brevi autem, medio circiter seculo septimo decimo, nova huius studii incipit periodus. Hebraica minus curantur, sed ERPENIO et GOLIO in

primis praeeuntibus, Literae Arabicae magis innotescunt; et Syriacae, ab Assemanis aliisque ex Asia in Europam translatae, vindicem hîc nanciscuntur LUDOVICUM DIEVUM. Talibus vero primordiis iterum eventus haud confestim respondit. Hebraicorum amor paulatim quidem augetur, sed non invalescit dialectorum illarum studium; in paucis modo earum ardor excitatur, Arabum Syrorumque libri perraro eduntur, nonnulli tantum Grammaticen Hebraeam cum horum populorum sermone comparare, vel potius earum linguarum initia una cum illa coniungere instituunt. Plerique aliis studiis delectantur, sive Antiquitatis Hebraicae, sive Philologiae, sive, ut COCCEIUS, Lexicographices. Haec tamen rerum facies post primum seculi superioris decennium immutari coepta est. Prodit magnus ALBERTUS SCHULTENSIUS. Hic studio linguae Hebraicae et Arabicae animos addidit. Plerorumque inveteratis erroribus profligatis, primus viam munivit ad Semiticarum dialectorum, praesertim vero Arabicae, comparationem recte instituendam, eamque adhibendam cum Etymologiae Hebraicae illustrandae, tum etiam lexicis emendandis et libris V. T., eiusque locis difficilioribus expediendis. Graviter dolendum est, perpaucos ALBERTI SCHULTENSII Discipulos ipsius vestigiis institisse. Multi enim, Magistri consilio ne satis quidem perspecto, externa illarum dialectorum specie decepti, neque in interiorem earum naturam penetrantes, hac comparatione miserrime abusi sunt. Alii tamen cautiores erant. Ad hos referimus cum SCHULTENSII Filium et Nepotem, quorum *ille*, Linguarum O. O. eruditione Patri non cedens, nulla fere, proh dolor! Scripta reliquit, *hic* florenti aetate morte abreptus, Arabicis edendis maximam partem inclaruit; tum alios etiam, quorum suis quique laudibus sunt praedicandi. Noti sunt, v. c. MANGERUS et VERSCHUIRIUS, noti SEBALDUS RAVIUS, vehemensque ardor, quo disciplinam nostram amplexus est, EVERARDUS SCHEIDIUS, notissima quoque NICOLAI GULIELMI SCHROEDERI in Grammaticam Hebraeam, ne alia commemorem, merita insignia. Sed quid plura nomina excitemus? Haec, quae aliis facile augeri possent, Studii illius superiore seculo in Patria nostra conditionem perspicue iam adumbrant. Testantur illa nobis non frustra vixisse ALBERTUM SCHULTENSIUM. Ex permultis, quae post eum, ut ipse ingenue confessus est, perficienda supererant, nonnulla tunc revera emendata sunt. Non maiores vero ea aetate factos esse progressus, haud miramur, cogitantes, quam lento gradu procedant disci-

plinae, quotque disciplina nostra illo tempore careret opportunitatibus, quibus haec cum nostris in regionibus, tum praecipue apud Exteros, hodie fruitur.

Quae hanc periodum subsecuta sunt tempora, ut aliis studiis, ita Literis O. O. privatim instituendis parum favebant. Publica, quae tunc ortae sunt, calamitates, atque res novae, quarum aliae aliis perpetuo succedebant, tum demum erant compositae, quum HAMAKERUS anno huius seculi quinto decimo Linguarum O. O. in nostro Athenaeo docendarum provinciam susciperet. Per hoc temporis intervallum SCHROEDERUS suum in Grammatica Hebraea principatum retinuit; attamen non negligebantur ea, quae Grammatici Germanorum copiosius, enucleatius, accuratius subinde exposuerant. Futilium Etymologiarum captandarum furore in dies magis defervescente, haud pauci, trium MICHAELIUM exemplo incitati, in explicando V. T., cum veteres Interpretes, ac praecipue Alexandrinos, tum etiam contextum et loca parallela diligentius consulebant. Alii quoque cum erudita illa interpretatione elegantiores et philosophas HERDERI et EICHHORNII rationes coniungebant. A Critica Sublimiori, quae dicitur, non quidem abhorrebant, sed multorum audacia et temeritas ita improbabatur, ut plerique ab ea deterrerentur et summa pietate ducti, religiosiores essent, quam ut in eam inquirerent. Interpretatione tamen Codicis Hebraei omnium fere studium absolvebatur. Dialecti minus vulgo, quam antea, curabantur; quin Arabica etiam, nisi hanc vindicassent sua quisque ratione WILLMETUS, MUNTINGHIUS, PARAVIUS, ne de vivo PALMIO loquar, intacta fere iacuisset.

Haec universe, HAMAKERO prodeunte, disciplinae nostrae fuit conditio. Quam ut pluribus describam, Virorumque Doctorum in has Literas merita significem, et vivorum nuperque mortuorum verecundia, et mea prohibet tenuitas. Illum potius attendamus Virum, cuius diiudicandi gratia superior instituta est disputatio.

HAMAKERUS, Amstelodami, ubi natus erat anno proximi seculi octogesimo nono, sortem nactus erat, Linguis O. O. colendis haud secundam. A Parentibus mercaturae destinatus, his fere invitis ad Graecarum Latinarumque Literarum studia iuvenis demum accessit, fortunaeque iniquitatem incredibili industria superavit. In Graecas autem Latinasque incumbens Literas, earum amore Cl. LENNEPIO duce captus quidem et brevi imbutus

est, sed nihilominus ad Arabicas quoque, quas ultro amare coeperat, Cl. WILLMETO incitante, mox perrexit. *Illis* vero tantum temporis, ut sibi victum quaereret, impendere cogebatur, ut eam, quam ceteroquin exoptasset, operam *his* Literis dare non posset. Iis tamen praeditus erat mentis ingeniique dotibus, ut, his si totum se traderet, hoc unicuique faustum Orientalium Literarum disciplinae omen esse videretur. Suspicabantur omnes, dotibus illis cognitis, HAMAKERUM ea, quae alii invenissent, non tacite probaturum aut integra recepturum, sed retractaturum, nova et meliora continuo quaesiturum, atque horum studiorum fines semper prolaturum esse. Hanc probabilem coniecturam eventus non fefellit. Etenim, quod *primo loco* exponamus, *universum deinceps Literarum Semiticarum ambitum amplectens, has ipsas in Patria nostra instauravit et tuitus est praeclare.*

Franequeram translatus, in Arabum, in primis autem in Abulfedae Scripta confestim involabat. Quae quantopere brevi tempore in succum et sanguinem converterit, Oratio declarat, quam, biennio nondum exacto, Lugdunum vocatus, muneris ibi auspicandi causa habuit, *de religione Mohammedica, magno virtutis bellicae apud O. O. incitamento.* Lugduni fervido huic, quo flagrabat, ardori magis etiam et totus indulsit. Ibi ille Codicum O. O. thesaurus ipsi apertus erat. In his perlustrandis, legendis, excutiendis, quantum operae atque laboris poneret, incredibile dictu. Intra triennium edidit *Specimen Catalogi*, quo quid emolumenti ex illis in hanc disciplinam redundet, luculenter probavit. Aestu, quo Magister erat incensus, Discipulorum animi pariter ardescere coeperunt. Omissis aliis, sufficiat Vobis in mentem revocasse CLARISSIUM et UYLENBROEKIUM, Viros Clarissimos. Quorum ille praematura morte, cui omnes disciplinarum amantes adhuc illacrymantur, etiam impeditus est, quominus Specimen Arabicum absolveret; hic vero, edita anno huius seculi vigesimo secundo Dissertatione, *de Ibn Haukalo*, Arabum Geographo, inclaruit. HAMAKERUS, splendida in hanc Dissertationem annotatione conscripta, alia non leviora mente agitabat. Locus est, Auditores! in historia Arabum literaria perquam difficilis, quem nemo umquam dedita opera exposuerat. Locum intelligo *de Scriptis Wakedii*, Scriptoris nobilissimi. Cuius nomine cum libri nonnulli ferrentur, qui illi tribui nequeunt, ipsi tamen, qui cognoscantur, sunt dignissimi, disquisitio de germanis huius viri scriptis non minus gravior erat, quam de adul-

terinis, atque horum argumento, consilio et auctore. Hanc quaestionem profligandam sibi sumserat. Quod quo melius sibi cederet, Codicibus Leidensibus perlustratis, alia etiam eorum Operum exempla anquirere, eaque, quae in aliis Bibliothecis servarentur, vel ipsa conferre, vel eorum notitiam sibi comparare studebat. Probe intelligens in his conquirendis, longum tempus consumtum iri, interea in Discipulorum gratiam unum ex his Codd. Leidensibus edidit, *narrationem* exhibentem *Aegypti a Moslemis expugnatae.* Hunc quoque Librum uberrima atque exquisita annotatione instruxit, hoc sibi proponens, ut, totius quaestionis examine ad finem perducto, hanc universam peculiari Dissertatione explicaret.

Spe, fore ut nova sibi subsidia suppeditarentur, diu suspensus, aliis studiis non intentus esse, aliaque consilia non inire nequibat. Gratissimae ergo ipsi erant literae Romanzoffii Russi nobilissimi petentis, ut Historicum Arabem celeberrimum, BELADZORIUM, suis sumtibus ederet. Cuius desiderio ut quam primum satisfaceret, manus operi statim admovit. Postquam vero animadverterat, *totius* Operis Arabici editionem haud operae pretium esse, universum eius argumentum in concinnum ordinem summatim latine redigere constituit, insertis uberiore rerum explicatione, et textu Arabico omnium locorum, quorum notitia et digna et necessaria esse videretur. Hoc tamen Opus, uti etiam Dissertationem, modo commemoratam, ad finem perducere non potuit. Impediebant enim tum summa cura et diligentia, his impensae, tum alia consilia nova iterum atque in dies audaciora, sed disciplinae utilissima. Duo in primis Opera cogito, alterum MEIDANII, HADJI KHALIFAE alterum. Illius *Proverbiorum* collectionis editionem parabat, latina versione, et commentariis, aliorumqae etiam proverbiorum, undecunque collectorum, serie auctam. Hic autem, celeberrimus Bibliographus Opus conscripsit, quo, quicunque in historiam literariam interius inquirant, carere nequeunt. In cuius textu constituendo, cum, auxiliis cl. WEYERSII adiutus, celeriter progrederetur, — ecce — Flugelius Germanus, se illud Britannorum impensis brevi editurum esse, annunciat.

Duplex maxime causa HAMAKERUM impedivit, quominus his sine intermissione vacaret. Prior est, quod non in *solis Arabicis* sibi subsistendum esse iure censeret. Altera quaeratur in variorum negotiorum mole, qua quotidie erat obrutus. Oriebantur haec non raro ex studio Discipulorum commo-

dis inserviendi. In quibus privatim etiam docendis et informandis nulli tempori sibi parcendum esse merito arbitrabatur. Quod cum in memoriam revoco, magna voluptate animum meum perfundi sentio. In mentem iterum veniunt horae illae suavissimae, innumerae, ad quas nobiscum transigendas semper paratus erat; horae praesertim illae vespertinae, quas quavis dierum hebdomade paucissimis nostrûm summa cum liberalitate largiri solebat. Virum tunc videre mihi videor talem, qualem ipsum videre perpaucis contigit: virum cum dilecta uxore liberisque amantissimis amice comiterque nos excipientem, iucunda confabulatione delectantem, atque, apertis uberrimae doctrinae divitiis, utilissimis sermonibus nos in admirationem rapientem. Namque non loquebatur modo de literariis quaestionibus, verum etiam res per orbem terrarum gestae saepius in censum veniebant. De quibus quum dissereret, nostram aetatem ex antiquitate illustrans et recentiora cum pristinis conferens, vix dici potest, quantam hinc perciperemus utilitatem, quantas delectationes; quantam denique in his ipse suam proderet perspicacitatem, praesentia et praeterita ita perspiciens et connectens, ut futurorum augur haud vanus vulgo existeret. Libris autem evolutis, nobisque in Orientem iterum translatis, quisque rursus pendebat ab ore illo, fontis instar perennis, dulcium aquarum copiam emittentis. Argumentum saepe erat difficillimum. Hoc vero atque impeditissimas quasque quaestiones ita exponebat et expediebat, ut nemo umquam abiret, nisi, sublatis difficultatibus, animoque ita perculso, ut stuporem nostrum, ea memoria, et doctrina, eo iudicio et ingenio excitatum, verbis fere enuntiare non possemus. — Sed cognoverunt Vestrûm plerique, quantopere ipsi placerent omnes, qui O. O. Literarum causae prospicerent, et quam benignus esset iis, qui in has dedita opera incumberent. Hinc iis Discipulis intimus erat amicus, utque hos liberorum instar amabat, ita eorum etiam, quoad posset, pater erat et futurae felicitatis auctor. Talis mihi fuit, talis aliis!

Discipulis illis, hac interiore amicitia fruentibus, argumentum elaborandum vulgo tradebat, sive *Geographicum*, sive, idque plerumque, *Historicum*. Hi autem labores et auctoribus, et ipsi disciplinae promovendae erant utilissimi. Etenim sic exstiterunt egregiae illae Dissertationes, non modo UYLENBROEKII, sed et ROORDAE et WEYERSII, quorum ille *Tulonidarum historiam*, hic *locos Ibn Khacanis de Ibn Zeidouno* explicuit. Cuiusmodi Spe-

cimina, HAMAKERI annotatione, ut haec etiam, instructa, non plura edita esse, eo magis est dolendum, quo pluris haec trias aestimanda sit. Plura autem sine dubio absoluta fuissent, si auctores, Academiâ relictâ, ad Sacrum munus obeundum non confestim vocati, otium per aliquod temporis spatium habuissent, in eoque subsidiis necessariis et Magistri auxiliis libere uti potuissent.

Alia causa, ut modo indicavi, quae HAMAKERUM ab Arabicis tractandis saepe detinebat, studium erat, quod *reliquis* etiam dialectis Semiticis tribuebat. Tantum autem abest, ut haec studiorum amplitudo improbanda sit, ut disciplinae potius optimum sit subsidium, quo integer harum linguarum complexus melius cognoscatur, interiusque perspiciatur: subsidium, unicum profecto, quod ducit ad ea, quae in singulis dialectis numquam ceteroquin explicarentur, facile tandem expedienda. Ei ergo gratiam debemus, qui, cum intellexisset, quam iniquus atque noxius sit *dialectorum* neglectus, omnes illas, pariter atque Arabicam et Hebraeam colendas esse, non modo severe semper monuerit, sed hocce studium suo exemplo commendatum, suâque institutione inculcatum, Scriptis ipse suis exornaverit.

A dialecto incipiamus, a plerisque turpiter omissa, ex qua, diligenter culta, linguae Semiticae permultum lucis capient, dialectum intelligo *Aethiopicam.* Cui quamnam operam navaverit HAMAKERUS, *Commentatio* demonstrat *de pluralibus fractis*, sive *anomalis*, *tam Aethiopum quam Arabum*, qua hunc difficillimum Grammatices locum illustrare conatus est. Hanc conscribere incepit, et si non plane absolvit, totam certe, ut elaboranda fuisset, delineavit. Quam ob causam fore, ut aliquando edatur, ardentur speramus.

Dialectus *Syriaca* quam parum olim curata sit, parvus librorum editorum numerus in tanta literarum Syriacarum copia satis docet. Libri autem illi editi, — ne dicam de *Grammatica*, nondum, ut par est, elaborata, — ne in subsidium quidem vocati sunt ad Lexica emendanda eorumque defectus supplendos! Huic incommodo HAMAKERUS succurrere volebat. Chronicon Bar-Hebraei, hoc consilio aliquoties perlectum, in Lexico suo iam integrum excerpserat. Apparatus, hac ratione collectus, profecto erat insignis, eoque magis exoptandum est, ut hic quoque olim in publicum usum convertatur.

Cum Syriacis copulatum erat studium literarum *Samaritanarum.* Cui, ut de industria operam navaret, Epistola, edita anno 1834, ansam dedit.

Quae ut in serie Epistolarum, quas Samaritani a Scaligeri inde aetate et deinceps in Europam miserant, lacunam ipsa supplet, et animadversionibus huic additis nostras de gentis illius reliquiis notitias auget et confirmat; ita quoque eius editio spem nobis fecerat, fore ut HAMAKERUS *Miscellanea Samaritana* deinde publici iuris faceret. Quae numquam edita esse eo dolemus vehementius, quo graviora sint, quae in iis pertractanda fuissent, argumenta. Codicis Scaligeri editionem puto, Chronicon a Samaritanis *librum Iosuae* nuncupatum, a libro autem *huius* nominis, qui in V. T. exstat, quam maxime diversum, exhibentis. Cuius editio, si ab eo curari potuisset, communi cum Theologorum, tum Literarum Orientalium Interpretum votis, iam dudum pronunciatis, ita praeclare satisfactum fuisset, ut non nisi trepidus, ne preces illae diutius irritae sint, Magistri partes ipse suscepturus sim.

Alia hoc loco indicanda superest dialectus, cui operâ navandâ Vir ille summus et nostrae disciplinae consuluit, et Patriae gloriam vindicavit. Est lingua, qua olim utebantur gentes, in historia antiqua celeberrimae, per Asiam, Africam et Europam olim propagata, mortua licet iamdudum, servata tamen in monumentis et nummis antiquis atque innumeris urbium locorumque nominibus, arcteque cum reliquis dialectis Semiticis, arctissime vero cum Hebraea connexa, — lingua Phoenicum, Carthaginiensium eorumque Coloniarum. Omnibus huius cognoscendae subsidiis deficientibus, non miramur harum Literarum studium per multa secula penitus fuisse neglectum, aliquando vero tentatum, propter monumentorum penuriam parvos per longum tempus fecisse progressus. Etenim, licet illa lingua per centum annos et quod excurrit, interpretes nacta sit, perpaucos initio, deinde plures, post BARTHELEMYUM etiam, SWINTONUM, BAYERUM, tot ac tanta aenigmata restabant, ut his solvendis non unum sufficeret felix et promptum ingenium. Talis quum esset HAMAKERUS, huic studio promovendo hic aptissimus erat. Quae alios deterruissent, difficultates sagacitatis ope facile superabat. Neque hoc in disciplinae fuit detrimentum; quam, omnibus libris antiquis huc usque carentem, priusquam firma huius ponantur fundamenta, magna incrementa *inventionis ope* accipere oporteat. Verum admirabilis haec in coniectando sollertia HAMAKERUM non seduxisset, ut, certioribus relictis, hocce studium celeriter arriperet. Aliud accessit, quod

ipsum urgebat, ut, nulla mora intercedente, huic incumberet. HUMBERTUS, Vir Eruditus, de disciplinis bene meritus, cum magna nummorum aliarumque rerum suppellectile, in his 4 lapidibus Carthaginiensibus et inscriptionis Borgianae delineatione, ex Africa ad nos redierat. Quibus antiquitatis reliquiis a Rege Nostro coemtis et Museo Leidensi donatis, HUMBERTIO, inscio HAMAKERO, ut has inscriptiones, cum lapiduui illorum, tum Borgianam edat, demandatur. Huius Operis exempla brevi tempore per Galliam, Angliam et Germaniam disperguntur; quo facto verendum erat, ne, his monumentis ab Exteris explicatis, gloria, quae Patriae nostrae soli competebat, huic eriperetur. Hoc ipsam dedecore sua culpa affici, HAMAKERUS aegre ferebat. Edita ergo anno 1822 *Diatribe*, illorum monumentorum Punicorum interpretationem exhibente, omnes praevertit. Hac autem edita, Vir indefessus in his quoque subsistere non potuit. Triennio post *Epistolam* edidit, Gallice exaratam, missam *ad Raoulium Rochettium*, qua inscriptionem explicaret Phoeniciam, in Cyrenaica repertam. Haec vero alîus eiusque maioris, Operis erat prodromus. Hoc anno nostri seculi 28 editum conscripsit latine, *Miscellanea Phoenicia* nuncupatum, quod monumenta nondum explicata interpretatur, iam explicata emendat, nomina quam plurima hominum, regionum urbiumque enucleat, multasque quaestiones, quae Phoenicum et Orientalium Graecorumque et Romanorum Literas et Antiquitatem spectant, nova luce collustrat. Sed quid plura? HAMAKERUM novistis, Auditores, huius quoque studii in Patria nostra instauratorem. Quem cum talem praedicamus, simul quoque et lubenter agnoscimus KOPPII, GESENII, aliorumque merita, quibus in primis auctoribus hae literae nostra aetate magnos suos progressus acceptos referunt. Multi sint primi cuiusque horum monumentorum interpretis errores, at nihilominus, si viam hic straverit, huic etiam suus constat honos. Iter alii deinceps multo facilius denuo suscipiunt, meliusque peragunt. Sic emendantur errores, incerta probabilia, probabilia tandem certa fiunt. Gaudemus alios iterum surrexisse huius studii cultores, nobisque superesse GESENIUM, cui, nuper quoque *Studiis Palaeographicis* de hac etiam dialecto bene merito, speramus, fore, ut *Marmorum Phoeniciorum* editio ipsi feliciter cedat.

Neminem fore, Auditores! confido, quin, Operum, quae hactenus recensui, catalogo perlustrato, Virum miretur, intra tam paucorum annorum intervallum tanta ingenii doctrinaeque monumenta sibi condentem, tantaque molientem, ut si omnia non modo futurae editioni parare, sed edere ipse potuisset, eam famam sibi vindicasset, quae inter plures Viros divisa, his singulis magnam gloriam conciliasset. Virum haec praestantem ac praeterea Discipulis edocendis occupatissimum, ac Scholam condentem, O. O. Literarum ardore flagrantem, nonne merito dicas, huicce Studio eximie consuluisse, idque hoc Auctore in Patriâ nostrâ revixisse? Verum alio insuper modo de Literis illis meritus est. *Harum colendarum rationem quoque emendavit.* Namque Literae ut floreant, plurimumque ex iis utilitatis redundet, earum colendarum ratio iusta sit omnibusque numeris perfecta, necesse est. Haec vero ut non continuo patet, ita etiam in tractandis Linguis O. O. huius disciplinae conditoribus statim non perspecta fuit. Progrediente tempore ipsa sese explicans formam induit in dies meliorem. Proavorum ergo conamina aequis laudibus efferenti ipsorum errores non sunt praetermittendi, neque vestigiis eorum subsistendum est. Pedes promoveantur. In itinere ulterius pergatur. Emendatiora recipiantur, perficiantur nondum perfecta.

Quicunque seculo superiore Literis Arabicis operam navarint, omnes fere Poëtis legendis, sive etiam edendis delectati sunt. His tamen laboribus, quorum quamvis multi magna diligentia saepe conspicui, omnes vero vitiis contaminati sint, *illi* aevo facile, *nostro* minime ignoscendis, nota sui temporis inusta est. Primum locum teneat *Metri neglectus.* CLERICUS quidem medio circiter seculo septimo decimo hoc iam tradiderat, sed tam obscure, tam impedite, tam aspere, ut perpauci eius Librum legere, nemo vix intelligere et in suos usus convertere posset. Meliora ergo requirebantur auxilia, deinde demum allata. Integro enim post eum seculo GULIELMUS IONESIUS Metrum Arabicum exposuit Graecorum rationibus accommodate. Alia aliis servata erant. Expositio *Empirica* FREYTAGIO et SACYO, quorum ille copiose, hic brevissime hanc descripsit; EWALDO vero *philosopha.* Hic enim non satis habens Arabum de hoc loco effata iusto et lucido ordine, ut praeclari illi Duumviri, disposuisse, in anomaliis quaesivit analogiam, et cau-

sas et nexus, quibus res singulae continerentur, indagavit. Quae ratio caute instituta, iucunda, digna, unice vera est, et horridum spinosumque campum, quem CLERICI Opusculum refert, in hortum amoenum transformat: quo perlustrato, Poëtae sine taedio, quin summa cum voluptate leguntur. Huius autem Metri notitia est multiplicis usus. Cum Arabes, in hoc excogitando et perficiendo suum ipsi ingenium secuti, digni Graecorum essent aemuli, Graecorum etiam Prosodiae et Metro illustrandis illud non solum inservit, sed Metra Arabica, pulchritudine, nativo colore, grata varietate insignia, Carminibus incredibilem addunt elegantiam, suavitatem et festivitatem, atque in textu certe constituendo summam utilitatem praestant. HAMAKERUS hanc ob causam metrum ubique iam attendit in primo suo Opere Arabico, Specimine Catalogi; cumque interiorem cum eo notitiam deinde sibi contraxisse et Scholae indicarunt Academicae, et Scripta eius recentiora satis testantur.

Eatenus quoque Patrum nostrorum nonnulli laudandi sunt, quod cum Poëtis *Grammaticos* non modo diligenter legerent, sed, ut praesertim proximo seculo, publici iuris facerent. Horum tamen studium, severius numquam commendatum, quomodo instituatur, multum differt. Si nunc quoque, quod ALBERTO SCHULTENSIO (in notis, Hamasae Excerptis subiectis), aliisque eius aequalibus minus vitio vertatur, si nunc, inquam, difficilioribus locis omissis, eos modo ex Grammaticis delibemus, qui intellectu sunt faciliores; si porro hos duces, saepe fallaces, coecorum instar, sequamur, quid nunc de tali praetermissione, quid de tali imprudentia dicam an stulta credulitate indicandum? Ista vero quam noxia est iustae Carminum omniumque Scriptorum interpretationi! Itaque HAMAKERUS cum optimis quibusque nostrae aetatis Philologis magnas horum Grammaticorum virtutes omnino praedicabat, eosque in Historicis etiam et Geographicis permagni faciebat, sed simul agnoscebat eorumdem vitia et defectus. Haec autem apud Arabes eadem sunt atque apud omnes Veteres, Indos, Graecos, Romanos, Iudaeos. Omnes nullam aut perversam dialectorum comparationem instituunt, nativum linguae ingenium, pristinam rerum conditionem et nexus aut negligunt prorsus, aut non satis tenent, omnia denique ab una tantum parte considerant. Quis est, qui in eiusmodi Magistrorum verba iu-

ret? Nonne praestat, his consultis, suo indicio uti? Quod si, ut in HAMAKERO, cum ingenio et doctrina coniunctum sit, haud pauca ex mirabili variarum rerum copulatione feliciter illustrantur.

Arabes cum in omni disciplinarum genere operam collocaverint, et in multis excelluerint, in studiis etiam, quae Recentiores in his Literis posuerunt, ut vere HAMAKERUS observavit, aetates quaedam sive periodi observantur, quarum quaeque illud Scriptorum genus eligebat, quod suae aetatis ingenio maxime congrueret. Itaque Medio aevo certatim curarunt, ut ea Scripta, quibus aliqua cum Philosophia Aristotelica necessitudo intercederet, latine verterentur. Huic aevo, post Literas renatas, successit aetas Historica, conspicua Scriptis ERPENII, GOLII, POCOCKII, SELDENI, HERBELOTII. ALBERTO SCHULTENSIO omnium mentes in dialectorum studium convertente, exorta est periodus Grammatica, Lexicographis et Scholiastis perlustrandis dedita. Hanc nostrum excepit tempus, in eo ab omnibus praecedentibus periodis diversum, quod non unum modo Scriptorum genus prae ceteris, sed omnia coniunctim eodem fere cum ardore complectitur. Hanc ob causam iam non modo evolvuntur, meliusque quam antea explicantur et adhibentur, Poëtae eorumque Interpretes, verum etiam *Historicos* consultos, editos, et nova luce collustratos videmus. Ex his autem haud minores, quam ex illis, si non maiores potius, aliis disciplinis oriri utilitates, sentiunt fere omnes. Sensit etiam HAMAKERUS. Impeditissimas quaestiones sic aliquando profligatum iri iure expectans, *Historiae* Orientalium *civilis* indagationem, gravissimis usus argumentis, omnibus adeo commendavit. Ipse igitur, postquam recentiorum historicorum de fide, WAKIDEO tribuenda, dissensionem animadverterat, in huius Scripta diligentius inquirendi consilium cepit. Quae disquisitio, quam non quidem, proh dolor! ad finem perducere potuit, hanc tamen quaestionem multum promovit, ipsique causa exstitit, ut in Historia civili exponenda omnem operam collocaret. Namque eius studia, quamquam non unam, sed omnes huius disciplinae partes complectebantur, si eorum characterem distinctius definias, ad Historiam praesertim inclinasse dici possunt. Ad hanc in primis exornandam a natura iis, quibus perpauci, facultatibus instructus erat. His adiutus, optimisque subsidiis gaudens, atque indefesso, neque umquam intermisso labore, in abditos huius disciplinae recessus tam penitus penetrabat, ut rerum, in Occidente et Oriente gesta-

rum, notitiam sibi comparasset, haud vulgarem, immo incomparabilem, atque extensissimi, immensi, infiniti fere ambitus. Quibus doctrinae opibus, nunc eheu! cum eo sepultis, quid in posterum lucrari potuisset! Iacturae nostrae calculos ponere quodammodo licet, iis, quae scripta reliquit, in censum vocatis. At vereor, ut quis, vel ex iis veram historicae HAMAKERI eruditionis notionem sibi informare possit. Quam qui concipere voluisset, eum docentem ipsum audire oportuisset. Ac numquam eum dicentem audivisset maiore cum admiratione, quam in conventibus illis vespertinis. Bar-Hebraei enim lectio cum nos tunc introduxisset in illud tempus impeditum, quo res Orientis cum fatis Occidentis tam intime erant connexae, ut de his enucleandis fere desperaremus, cuncta, HAMAKERO interprete, expedita, intellectu facilia fiebant. Etenim historiam Arabum regnique Byzantini, si quis alius, perspectam habebat. Non solum variarum Orientalium Dynastiarum nomina, ortus, progressus et successiones ex ordine confestim enarrare, sed etiam singulorum Principum fata, et res gestas explicare, earumque causas, quin abditissima quoque consilia sollerter expiscari et accurate distinguere sciebat. Quae cum ita sint, magnopere exoptandum fuisset, ut, si non Opere ampliore, at Compendio saltem, horum temporum historiam exposuisset. Cui voto, ad quod solvendum eius Discipuli ipsum compellere et urgere haud desierunt, in posterum forte satisfecisset.

Ab Historiae Orientalium civilis expositione seiungi nequit *Historiae literariae* studium. Quo neglecto, nullus est Codicum usus, nullum de fide historica rerum enarratarum iudicium. Huius studii, de quo plerique antea parum erant solliciti, nostra aetate instaurator egregius fuit SACYUS. Nunc ubique vigens atque florens, hoc quoque in Patria nostra altas radices egit. Quonam auctore, quisque novit. HAMAKERUS enim, huius etiam disciplinae vindex praeclarus, Arabum gentes ita cognitas habebat, ut alii Nostratium familias. At nomina non tantum curabat et genealogias, sed Scriptorum etiam vicissitudines, opportunitates ad res, quas conscribant, cognoscendas, ingenium denique et mores. Quibus cognitis, et fontibus, e quibus quisque sua hauserit, investigatis, vera a falsis discernuntur atque tenebrae luci cedunt. HAMAKERUS, cum ipsi anno 1817 mandatum esset novum Codicum Lugdunensium catalogum conscribere, eique aliquam adiicere

Auctorum notitiam, huic Studio sponte sua admotus est. Quod cum ageret, intimamque cum his Codicibus familiaritatem sibi contraheret et WAKEDIANAM quaestionem explicare susciperet, illam disquisitionem deinde semper ob oculos habuit, eamque in omnibus aliorum Scriptis, quae legeret, quaeque censurae subiiceret, dedita opera acute admodum instituit, atque ita, tam suis observationibus, quam via aliis commonstranda, immortaliter de Literis O. O. meruit.

Verum Historia, sive civilis, sive literaria, vix intelligitur, nec recte umquam traditur, nisi *Geographiae* face admota. Quot quantique et ridiculi interdum errores, hac ignorata, committantur, longa exemplorum series testatur. Si qui tamen alii, recentiores certe Historiae Orientalium Scriptores et Commentatores, non dicam, excusari, at indulgenter diiudicari merentur. Magna nempe obscuritate Geographia illarum terrarum premitur. Per longum tempus conditio Orientis ex solis Graecorum Romanorumque Scriptis innotuerat. Hae vero notitiae imperfectae erant et corruptae, falsae interdum aut nullae prorsus. Orientem Veteres illi cognoverant, perpauci ex diuturna commoratione, plures ex itineribus velociter peractis, plerique ex testium, qui rebus relatis interfuissent, aliorumve narrationibus. Fama autem, ut crescit eundo, ita nomina propria invertere solet. Haec enim, ex Linguis O. O. Graecis Latinisve literis reddita, misere vulgo vexantur, et turpiter mutilantur, neque locorum situs plerumque admodum curatur. — Qui contra ex ipsis Orientalium libris meliora repeti posse arbitretur, hac spe saepe etiam se deludi animadvertet. Eorum Auctores, si ipsis rebus interfuerint, multa, suis aequalibus notissima, omiserunt; in iis vero, quae longo ab ipsis sive spatii, sive temporis, intervallo facta sint, ipsi etiam haud raro falluntur. — Quo gravius ergo hoc Studium est, eo impensius laudentur illi, qui huic se tradere auderent, ac regiam eius tractandi viam ingrederentur. Optima profecto praestare auxilia *Arabum* Geographos, qui ex fontibus, uberrime fluentibus, dedita opera Geographiam Orientalem explicarunt, olim iam intellexerunt GOLIUS et ALBERTUS SCHULTENSIUS. Recentiori vero memoriâ inter Exteros haud pauci, qui non Arabicos modo, sed *aliarum* praeterea O. O. gentium libros adeuntes, multis quaestionibus solvendis et de quibusdam terris universis erudite disserendo, hanc Geographiae partem vere exornarunt. Quos aemulans, HAMAKERUS egregiis, quibus Bi-

bliotheca Lugdunensis abundat, huius disciplinae illustrandae subsidiis, praecipue vero Arabicis, sedulo prudenterque usus est. Hos enim Geographos in rebus praecipue controversis non prius sequendos esse ducebat, quam multi inter se comparati essent. Quod quo acutius faceret, illam fontium explorationem atque *κρίσιν*, quam diximus, perpetuo instituendam esse existimabat. Si exempla velitis, A.! quibus, quae proximo loco et antea dixi, probentur, Libros ab eo editos modo inspicite; — talia hi ubique praebent, et per ea plane vobis erit persuasum, Literarum *Arabicarum* studium, si Patria nostra spectetur, optimas ipsi debere emendationes; disciplinam vero, si hanc in universum consideratis, magna incrementa.

Hamakerus, etiamsi praeterea nihil aliud fecisset, consilio, quo Lugdunum vocatus erat, optime revera satisfecisset. At his acquiescere non potuit. Arabica enim non tantum toto animo amplexus est, sed reliquas etiam, ut iam vidimus, dialectos. In his quam maxime *Hebraicam*. In qua quid operae collocaverit, hanc ob causam nondum indicavimus, ut, quae de hoc argumento dicenda sint, hîc complecteremur; digna profecto, quae ab omnibus cognoscantur. Cognoscuntur haec eius merita ex Scriptis: verum eius Discipulis aliunde item consummatiusque ea efficere licuit ex privata institutione, et Scholis Academicis. — Quae publici iuris ipse fecit, opera ubique Virum iam testantur, Hebraea amantem, eorum dignitatem tuentem, suo pretio haec aestimantem, atque ex iis, data modo occasione, varia omnium Semitarum monumenta explicantem; quae denique, ad Codicem Hebraeum illustrandum faciant, huc naviter studioseque omnia conferentem. Hoc consilio sese dedit studio linguae Phoeniciae, cuius scripturae specimina quantivis pretii esse iudicabat ad *κρίσιν* V. T. rectius instituendam, Codicumque vitia et lectiones versionum melius expediendas. Evolvite, quaeso, *Miscellanea Phoenicia*, eiusque *Commentationem in Libellum de vita et morte Prophetarum!* — Verum dignissima sunt, quae sigillatim perpendantur, cum, quae *Interpretatio* et *Critica* V. T., tum etiam quae *Geographia Palaestinae* et *Historia Veterum Hebraeorum* hamakero accepta referant. Quam brevissime haec enarremus!

Hamakerus, non facile aliorum interpretationem, nisi haec ab omni parte ipsi probata videretur, recipiens, ac novam potius eamque meliorem exco-

gitans, *Interpretationem V. T.* emendare conatus est, atque ita saepius profecto multa emendavit. Viro enim, veri sensu flagranti, summaeque eruditionis, aliorum errores, magna licet auctoritate muniti, statim plerumque in oculos incurrebant; quin id, quo quaeque interpretatio laboraret, extemplo saepe iam perspectum erat. Rationes, quas interpres ipse sequebatur, sine dubio erant probandae. Ne dicam de interpretatione *Grammatica*, quam solam admittebat, cuique semper *Criticae*, *Historiae*, *Geographiae* et *Antiquitatis* facem admovebat, non adeo sectabatur *locos selectos*, quorum, contextu et libri consilio ac scribendi ratione haud satis perspectis, hoc continuo verendum est, ne germana explicatio obscuretur. Locorum vero difficilium explicandorum opportunitatem non missam fecit, sed ea passim usus est aptissime. In quibus exponendis cum interpretis ingenium iam sit conspicuum, hoc multo tamen magis elucet, ubi suum de *universis libris* iudicium pronunciat. In mentem Vobis revoco *novissimorum in Canticum commentariorum* Censuram, atque novam ipsius huius libri enucleandi rationem. Verum ne exinde quidem HAMAKERUM interpretantem perfecte novimus. Talem demum manifestum sese reddidisset, si Commentarios, quibus intentus erat, absolutos in lucem edidisset. Omissis *animadversionibus*, quas, GESENII Commentarium in Iesaiam legens, in capita priora conscripserat, tres potissimum intelligo: *Commentarium in Ieremiam*, *Habacucum*, *Obadiam*. Etenim casu quodam cum in *hunc* Prophetam legendum incidisset, cumque versus vigesimi interpretandi difficultas ipsum offendisset, hac sublata, suam ipse sententiam de Libello universo brevi Commentario, *Operibus* fortasse *Instituti Regii* inserendo, proferre decrevit; hoc demonstraturus, illud oraculum, non tam recens esse, quam vulgo existimatur, nec tamen Achazo antiquius. Ieremiae et Habacuci vaticinia, *haec* haud ita multo post quam Lugdunum venerat, *illa* deinde per aliquot annos, in Scholis Academicis explicuerat. Commentarios in Ieremiae 30 priora capita absolutos reliquit. Quos vero olim in Habacucum conscripserat, postea, antequam ederentur, emendandos et augendos esse censebat: cumque laborem, anno 1830 itinere in Germaniam, Helvetiam et Italiam peracto, ac meliores ita de Codice Syro-Hexaplari notitias adeptus, suscepit quidem, sed perficere non potuit.

Iter illud commemorans, atque HAMAKERUM, Mediolani versantem, cogi-

tans, eum mihi repraesento, non qualem toties sese praestitit, incomparabilem Arabum Scriptorum interpretem, sed in eo unice occupatum, ut *Criticum* V. T. ageret. Hanc disciplinam, quae, ut recte colatur, ingenii acumen requirit et sagacitatem haud mediocrem, quaeque ideo ipsius mentis facultatibus prorsus accommodata erat, hanc, inquam, disciplinam semper dilexerat, atque tantos ab eo inde tempore, quo ipsi cum Cl. PALMIO convenisset Scholas Philologico-criticas, quae dicuntur, alternis annis habere, progressus in ea fecerat, ut haec disciplina eo auctore, si diutius vixisset, nova deinde forma prodiisset. Quod quoniam ex Scriptis, huc usque editis, non satis apparet, uberius exponendum est.

Subsidia, quibus Critica V. T. gaudet, antea adhibita diligenter, sed vulgo non prudenter neque apte; hodie vero alia perraro, alia non ea, qua par est, ratione adhibentur. In ipsa v. c. Germania, ubi nostra aetate disciplinae laetissime florent, *Codices Hebraei*, a KENNICOTTO et ROSSIO collati, fere negliguntur; quin monumenta, his Codicibus multo antiquiora, *Versiones* puto *antiquas*, excepta fortasse *Graeca Alexandrina*, a plerisque vix curantur. Multum tamen abest, ut haec subsidia inutili suppellectili sint aequiparanda. Quod qui existiment, vetus nostrum proverbium iis obiicio: *ignorata non amata!* Ratio, qua subsidiis illis utiliter uti possint, si innotuisset, aliam sine dubio amplexi fuissent sententiam. *Illa* enim saepe nullius quidem sunt auxilii ad textum corruptum restituendum, verum eiusdem corrupti historiam non raro egregrie illustrant. Lectionibus nempe Codicum Hebraeorum diligenter collatis et perpensis, optimorum librorum M. S S. characterem, aetatem, patriam et originem melius indagare poterimus. Sic transitus facilior redditur ad fontes antiquiores, e quibus hi Codices fluxerint, quodammodo tandem cognoscendos: sic denique remotissimis illis temporibus propiores admovemur. Haec est utilitas, quae ex studio, quod HAMAKERUS Codicibus illis impendit, si alii eius vestigiis insistere pergant, aliquando redundabit, eamque eo celerius expectare licet, quo citius hi Codices denuo meliusque conferantur, lectionumque variantium copia ex libris antiquioribus augeatur.

Haec tamen emolumenta, quamvis minime contemnenda, iis cedunt utilitatibus, quae Criticum V. T. studium ex *Versionibus antiquis*, recte adhibitis, in posterum accipiat. Proavorum aliorumque laboribus multae iam ad communem omnium notitiam sunt perlatae, praeparatique sumus, ad has me-

lius deinde explorandas. Etenim plura facienda supersunt. Interna earum conditio, cuiusque versionis indoles, interpretum varietas, singulorum cogitandi, vertendique ratio, alia, multo distinctius, quam antea sunt definienda. De quibus si plenius constet, earum usus in textu Hebraeo explicando et emendando multo erit acutior, multo certior. Itaque HAMAKERO pergratae erant novae quaedam, accuratius in harum versionum ingenium inquirentes, Scriptiones: gratissima in primis Editio Alexandrinae versionis Holmesiana. Non enim, ut plerique, satishabebat, *textum* versionum *vulgarem* sedulo contulisse; verum, si de hac recepta lectione dubitandi locus, aut, hac integrâ, insignis tamen lectionis varietas obvia esset, nihil, quod ad *illam*, sive probandam, sive emendandam, ad *hanc* vero enucleandam conduceret, ab eo omittebatur. Talem autem de *reliquis* versionibus disquisitionem, apparatu destitutus, solo ingenio duce vulgo tentare cogebatur. — In Graecis tractandis Anglica illa Editio largas ipsi suppetias ferebat. Iustum huius pretium et verum usum pauci certo tam brevi, quam HAMAKERUS, perspexerunt. Eâdem, quam in his ostendit, perspicacitate versatus est in historia *recensionis Hexaplaris* illustranda. Quam docte quaestionem de *Hexaplis* et *Tetraplis* agitavit! quam accurate de nobilissimo *Codice Mediolanensi* exposuit! Quin uberior in iis fuisset, si in Italia diutius commorari potuisset, eademque consilia, quae postea, iam tunc iniisset, atque alterum in Italiam iter suscepisset, quod *hocce* anno facere sibi proposuerat.

Critica vero *sublimior*, quae vocatur, vindicem acerrimum HAMAKERUM quoque habuit. Vanarum hypothesium, quae sub finem proximi et initio nostri seculi tam crebro excutiebantur, nullam rationem habens, neque ab altera parte fugiens veritatis lucem, quam maior hominum pars hodieque in tali examine studiose evitat, suam de subtilissimis gravissimisque in hac disciplina locis aperte atque ingenue pronunciabat. Aliter sentientes parum curans, neque perversis hominum placitis, tametsi ab aevo probatis, umquam obsequens, suam ipse viam tenebat. Haec tamen, quia de aliis rebus vulgo scribebat, Exteros latent fere, sed ipsius Popularibus, quorum Doctissimi quique fervidum eius veritatis amorem impense mirabantur, eo sunt notiora. Quorum votis si satisfactum fuisset, otium illi quoque contigisset ad universam Introductionem in V. T. conscribendam. Quo facto,

multis quaestionibus ex tanta vi ingenii, quod tantas toties scintillas emiserat, nova lux exorta fuisset.

De *Historia* Veterum Hebraeorum universa non erudite commentatus est, sed de locis tantum quibusdam difficilibus. Cogitemus modo aetatem Maccabaeorum, tenebris passim obductam; ex quâ, dum multi nonnulla saepius frustra tentarent, HAMAKERUS *principatum Ionathanis et Simonis* egregie illustravit. In aliis huius generis quaestionibus agitandis similiter vel perversas aliorum opiniones profligavit, vel, rebus desperatis, nodum solvere suscepit. In primis autem de historia huius populi aliisque argumentis, cum hac arcte connexis, disseruit in *Commentatione in Libellum Epiphanii de vita et morte Prophetarum*, qui saepe de his disputandi opportunitatem ipsi praebebat. Ipse quidem Epiphanii Libellus *traditionibus* maximam partem absolvitur. Sed et hae, si modo prudenter adhibeantur, multa docent, et magnopere prosunt. Ad HAMAKERUM attendite! Traditiones non temere amplectitur, nec tamen audacter reiicit. Filum, quod per nebulas densamque caliginem ad illarum originem ducit, studiose sequitur. Omnia monumenta, sive Veteris, sive Recentioris aevi, quae his explicandis inserviunt, sagaciter cum his componit, ac nonnulla ex iis ingeniose haurit.

Neque etiam in Veterum Hebraeorum Annalibus explicandis *Chronologiae* studium missum fecit; haud quidem amoenum illud, sed plane necessarium. Hebraei enim quam parum fuerunt solliciti de temporibus accurate definiendis! Aeram sibi constituere vel ab aliis recipere quamdiu non curarunt! Hinc summa in his Annalibus intelligendis difficultas! Hinc tot loci a Recentioribus miserrime vexati.

Illâ autem Commentatione *Geographia Palaestinae* in primis profecit. Quam ut illustraret, Veterum Hebraeorum recentiorumque Iudaeorum Scripta cum Libris Graecis et Latinis, atque Arabicis praesertim, ibidem contulit. Labor vere improbus, at, quamdiu haec terra non melius explorata sit, prorsus necessarius! Neque irritos esse tales conatus, ex HAMAKERI exemplo discimus. Hac ratione errores RELANDI et ROSENMULLERI, quorum operam in hac Geographiae parte tradenda multis nominibus laudari oportet, horum, inquam, errores interdum emendat. Nomina propria, saepe cor-

rupta, atque inter se confusa, restituit, locorumque situm accurate tradit. Verbo, ut dicam, quae ante eum nemo viderat, brevi ipse perspicit. Quod quo luculentius appareat, hoc unum afferamus. In tractuum, qui cuique tribui assignarentur, catalogis, libro Iosuae insertis, oppida eiusdem nominis saepissime enumerantur. Recentiores autem Geographiam Palaestinae sive Commentariis, sive Mappis, exhibentes, terras terminosque cuiusque Tribus adumbrarunt ita, ut omnes fere Tribuum tractus a se invicem separati essent, singulisque omnia illa oppida, quae singulis Tribubus in catalogis laudatis concedebantur, tribuerunt. Sic vero Hebraeorum Terra incredibili oppidorum numero frequentata, ac revera onerata est! Attamen neque hoc, neque etiam exigua pro tali numero nominum varietas ullam erroris suspicionem vix alicui moverant: eadem vero gravem moverunt HAMAKERO. Ipsi enim huius Terrae divisionem et locos huc spectantes perpendenti, hoc verosimillimum, nisi potius certum esse videbatur, multas Tribus ditionem a reliquarum ditionibus separatam vel, pro tribulium numero, *angustiorem*, vel *nullam* fere accepisse, iisque in aliarum Tribuum terris tractus fuisse indicatos, quos Gallico vocabulo *enclaves* diceres, quosque illae sive solae, sive cum ea Tribu, in cuius finibus hi tractus siti erant, simul incolerent. Qua sententia admissa, urbes eiusdem nominis revera fuisse, non quidem negatur, sed earumdem numerus valde imminuitur, quin Historia etiam non raro mirifice illustratur.

Hierosolymorum, denique, ne de aliis Palaestinae urbibus loquar, *Topographiam*, quae Eruditos semper exercuit, HAMAKERUS, cum in Commentatione illa, tum alibi quoque, non intactam reliquit. Qua in causa suis licet virtutibus sint insignes OLSHAUSENI, CROMII et RAUMERI labores, hocce triennio editi, nondum hi supervacaneam reddiderunt HAMAKERI de urbis illius *fontibus*, *piscinis*, *et aquae ductu*, de *Regum aliorumque Virorum sepulcris* disputationem: spem vero magis etiam excitant, fore ut haec loca, quemadmodum aliarum vetustarum Urbium rudera, tandem aliquando pervestigentur diligenter.

Cum studio Codicis Hebraei *N. T. Interpretatio* atque *Historia recentiorum Iudaeorum veterumque Christianorum* arcte cohaerent. Quod si umquam, in HAMAKERI Operibus atque Institutione manifesto declaratum esse vidimus. In primis autem in eadem illa, de Epiphanii Opusculo Commen-

tatione. Illud enim, quod, latente origine, omnibus interpretibus huc usque molestias creaverat, ut HAMAKERUS ibi docuit, ab Epiphanio Graece versum, fontem habuit, Graecis multo uberiorem, Hebraicum. *Titulus* Operis Hebraici, *liber nominum Israëlis*, ut a WOLFIO aliisque Iudaicorum librorum Bibliographis nusquam commemoratur, ita *textus Hebraicus* nondum repertus est. Huius libri antiquitas, quae adhuc definiri nequit, cum ex argumento et dicendi ratione elucet, tum ob magnam eius inter antiquos Christianos aestimationem et auctoritatem nullo dubio est obnoxia. Medio enim nostrae aerae seculo tertio Origenes traditionibus, huic libello insertis, iam usus esse videtur. Epiphanius postea, ex Iudaeis Parentibus natus, hunc primus fortasse Graece vertit et in compendium redegit. Dorotheus, sub finem seculi tertii, ut exemplis probaret, Viros sanctos ab orbis terrarum initiis ad Iohannem Baptistam usque perpetuo ad I. C. respexisse, novam editionem, Epiphanianâ breviorem, paravit. Variae hac ratione Libri illius Hebraici recensiones ortae sunt, aliae *Graecae*, *Latinae* probabiliter aliae. Quatuor recensiones HAMAKERUS invenit, quarum varietatum causas et origines indagavit. Quibus omnibus expositis, unus de hoc Libro magis meruit, quam cuncti, quoiquot olim hunc ediderant.

In his vero uberius tradendis mihi temperandum esse sentio. Plura enim de HAMAKERO dicenda supersunt. Namque O. O. Linguarum Studium in Patria nostra non modo tuitus est, eiusque tractandi rationem emendavit, verum etiam huius honore et dignitate vindicatis, illud omnibus Eruditis commendavit. Id semper egit, ut *hoc Studium ad omnium Literarum ac Disciplinarum causam promovendam institueretur*, *utque hoc*, *singulas illas exornans et amplificans*, *nova vicissim ex iis incrementa ipsum acciperet.*

Literae O. O. ab eo, quo cultae sunt tempore, locum, quem tenere eas oportet, in plerorumque studiis nondum consecutae erant. Fuerunt olim, qui tenui dialectorum, in primis Arabicae, notitiâ admodum sibi placerent, sive ut varietatis causâ harum etiam gentium Scripta cum aliqua facilitate legerent, sive veluti superiore seculo, ut studio Etymologico linguae

Hebraeae eo insanius indulgerent. Alii vero liberalioris erant ingenii; ERPENIUS praesertim et GOLIUS, et vero ALB. SCHULTENSIUS, eiusque Nepos. Maiorem etiam, quam hi Literis Arabicis assignandam esse indicaverant, amplitudinem HAMAKERUS iis hîc denuo vindicare studuit. Sic enim statuebat, tantam tamque infinitam in omni Scientiarum genere harum Literarum esse copiam, ut sui amorem non Theologis privum, sed, veluti olim in Patria nostra, hodieque inter Exteros, quam plurimis aliarum Doctrinarum Patronis communem, haec suo iure exoptet.

Quod ut de Arabicis iam inter omnes constat; de aliorum Semitarum Literis pariter valet. Quorum quo plura monumenta in lucem proferantur, eo gravius horum quoque pondus esse apparebit, eoque maius momentum, nostrae Disciplinae ab omnibus Eruditis vere tribuendum.

Exemplis, A.! ex HAMAKERI Voluminibus, dictis fidem facere liceat. Meministis, qua ratione Arabum Scriptis uteretur, quotque quaestiones eorum Geographis prudenter adhibendis solverit. Neque opus est ad Bar-Hebraeum recurrere, in quo explicando, quae ex Armenorum Scriptis innotuerant, egregie conferebat. Alia nunc commemorare lubet, in iisque continuo hoc, dignissimum sane, quod, data occasione, Virorum Doctorum animos in se convertat. Omnes iam desperaverant de Literarum Chaldaicarum uberiore, quam quae ex Graecis Latinisque Scriptis petatur, notitia sibi comparanda. HAMAKERUS vero quid deprehendit? — Inquirens aliquando in quaestionem de Scriptis *Ibn Wahschiyyae* certior factus est, hunc, Chaldaeum origine, anno HEDJRAE 291° Opus *de Agricultura* amplissimum et eximium ex lingua Nabathaea Arabice vertisse hanc maxime ob causam, ut suos aequales, qui, licet magnam partem a Nabathaeis oriundi, Proavos contemnere solerent, melius edoceret. Hocce autem Opus *cum aliis multis veterum Chaldaeorum libris* ille servatum repererat penes gentis reliquias, antiquis Proavorum sacris, moribus et linguae addictas, suosque libros religiose occultantes. Quare hoc nobis persuasum sit, fore ut, Codicibus diligenter collatis, hocce, aliaque fortasse Opera Chaldaica innotescant, atque res gentis huius antiquissimae in clariore luce tandem ponantur.

Quum vero populorum historia et antiquitas non e solis libris, sed ex *monumentis* etiam atque *nummis* cognoscatur, his quoque explicandis HAMAKERUS multum operae sibi tribuendum esse censebat, multum quippe conferen-

tibus ad dubia movenda, obscura illustranda, ignorata patefacienda. Hi fructus fuerunt eius laborum, quos in Nummis Phoeniciis Punicisque atque Hasmonaeis collocaverat. Hi etiam studii rei Arabum Numismaticae. Sic factum est, ut Munteri aliorumque Virorum aequus iudex, iustusque praeco existeret, utque arctiorem cum Fraehnio familiaritatem iniret, Palaeographiae Historiaeque, tum Semitarum, tum totius Orientis et Occidentis quoque utilissimam.

Emolumenta nempe Studii Linguarum Semiticarum, si quis huius ambitum tam late extendat, non modo redundant in ipsas res Semitarum; redundant etiam in Historiam *remotiorum Asiae gentium.* Armis Islamismi ad has prolatis, cultuque Mohammedis recepto, ac linguâ Arabicâ a Persis diligenter excultâ, *Mogoli*, *Turcae*, *Afghani*, *Indi* in Arabicis Annalibus, ab Arabibus Persisque conscriptis, comparent, quin *Russi* etiam, quorum res olim gestas Fraehnius ex Ibn-Foslane eruit, aliique populi, rebus Moslemorum deinde impliciti, minime omittuntur. In illis autem non leviter harum gentium fata adumbrantur, sed de pristina earum conditione et originibus, de moribus et religionibus, de Literis et Scriptis dedita opera interdum agitur. — Animadvertitis, A.! quid debeamus Operum illorum Arabicorum Editoribus! quid Anglicae genti praesertim, et haec et vero aliorum etiam O. O. populorum Scripta innumera maximis impensis ad publicam proferenti notitiam, nulla umquam deterritae in Orientalium rebus pervestigandis difficultate, optimisque his perficiendis instructae subsidiis. Conatibus enim illorum edendorum mirifice favens, Antiquitatis reliquias undecunque anquirere simul studet, nostrâque praecipue aetate Peregrinatores excitat, Viros praeclaros, longissima per mediam Asiam itinera suscipientes, atque atrocissima pericula subire haud reformidantes. Hos attendite, montes superantes, nivibus tectos aeternis, inque terrae penetralia descendentes; in loca ignota prorsus subeuntes, monumenta incertae plane originis reperientes, sacraria intrantes, omni memoriâ antiquiora! Quaenam A.! ex his itineribus in posterum speranda! quaenam, si has Peregrinatorum descriptiones cum Veterum effatis ac Recentiorum laboribus componas! Tempus tum sine dubio instat, quo ea pars orbis terrarum, summarum rerum olim incunabula et theatrum, Europaeis tandem cognita et perspecta fiat.

Haec tamen consilia, Anglis ac praepotentibus eorum Societatibus digna,

tanta sunt, ut ab his iisque gentibus solis, quae pari fere, atque illi, potentiae et auctoritate valent, perfici queant. Cuique vero, quod HAMAKERUS aliique quam plurimi suo docuerunt exemplo, pro sua facultate haec promovere licet. Subsidia habebat ille haud spernenda quidem, sed quae minime comparari possunt cum divitiis literariis, quarum aditus aliis patet. His, qui ipsi praesto erant, fontibus diligentissime usus, nihil amabat ardentius quam eorum ope in abditissimos universae historiae Asiaticae recessus penitius in dies inquirere. Quam ob causam Turcarum Persarumque Tatarorum et Mogolorum, aliarumque gentium res gestas, collatis Arabicis Syriacisque Scriptis, ut in Operibus eius ubique est conspicuum, quotidie mente agitabat.

Praeter populos Asiaticos alii quoque olim floruerunt, quorum aeterna est nominis celebritas, quorumque Scripta divina et merito laudata antiquitas, quamvis quam plurimi de his per aliquot secula commentati sint, ex Orientalibus fontibus multum lucrari, ex iisque solis lucidam in multis explicationem accipere et possunt et sane merentur. *Graecos* intelligo atque *Romanos*. De quibus hoc tam vere statuitur, tamque diserte nunc probatum est, ut nullum dubium supersit, quin, si omnibus harum Literarum Patronis, ut *hodie* quibusque eorum perspicacissimis, ita *olim* etiam hac de re adeo persuasum fuisset, quin, inquam, heroes illi Literas Orientales non *vanam eruditionis luxuriam*, suis Literis *noxiam* habuissent, sed magno cum ardore illis colendis magis etiam de sua disciplina meruissent, famam sibi conciliantes, multo maiorem. Verum laudes illae nostris temporibus erant servatae, earumque HAMAKERUS Patriam nostram seque ipse in communionem adduxit. HAMAKERUM hoc fecisse, nemini inexpectatum evenit. Qui in eo Iuvene eruditum Graecorum Auctorum interpretem, fervidumque Orientalium amicum admirabantur, hunc eventum non frustra praesagiverunt. Graecis et Latinis Literis colendis, ut initio sua *sorte* destinatus, ita mentis facultatibus ab ipsa natura natus esse videbatur. Ab eo tempore, quo Literarum studiis se tradere potuit, in Graecas totus incumbens, cuncta fere Graecorum Opera, nullis, ne inferioris quidem aevi, Scriptis omissis, deinceps legere volebat. Quâ in lectione quo ulterius pergebat, eo saepius molestae ipsi erant Editiones, a veterum Librariorum vitiis nondum purgatae. Assidua in his emendandis exercitatio *Criticae* amo-

rem in eo excitabat. Cuius exercendae quo maiorem utilioremque facultatem adipisceretur, unum sibi prae ceteris anquisivit Scriptorem, quem de industria tractaret. Mox ad *Opera Philostratea* delatus est, quae prae aliis manum emendatricem postulabant, quaeque, quamvis tum iam multa deberent BOISSONADIO, eo gravius vexata et violata sunt ab OLEARIO, *plura iis*, ut cum RUHNKENIO loquar, *vulnera infligente, quam sanante.*

HAMAKERO multum his Scriptis operae impendenti, *Vita Apollonii*, haud unam ob causam lectu dignissima, at misere corrupta, in primis arrisit. Reliqua Opera, *Vitas Sophistarum*, *Heroica*, *Icones* et *Epistolas*, postquam cum hac *Vita* contulerat, animadversiones et emendationes, ex his laboribus enatas, Cl. LENNEPIO tradidit. Quem, ut has ederet, auctorem ipsi fuisse, nemo profecto dolebit. Dolemus modo de *tribus* fasciculis *unum* tantum prodiisse. Verum hicce arguit multiplicem revera, atque in Iuvene vix credibilem, Veterum lectionem, acerrimumque illud in corruptis restituendis ingenii acumen, quin futurum etiam *harum* Literarum pariter atque *Orientalium* Vindicem.

Etenim, quod crebro observatur, ut, qui antea Graecarum Latinarumque Literarum amore imbuti esse viderentur, deinde ad aliarum rerum Studium translati, illas prorsus negligant, istud tantum aberat, ut in HAMAKERUM caderet, ut Orientalia Veterum illorum Scriptorum interpretationi iuvandae et adornandae sedulo adhiberet. Amor ille, quo Graecas maxime Musas prosequebatur, tam penitus eius animo infixus erat, ut ad has sese reciperet frequentissime. Recordamini modo, A.! doctissimam, quam anno 1828 conscripsit *Kieslingianae*, qua *Tzetzae Chiliades* continentur, *Editionis* Censuram. Ad quam Editionem diiudicandam nemo sane HAMAKERO aptior fuit. Novam TZETZAE Editionem iam octodecim ab *eo* tempore annis mente volvebat, allectus, non dicendi eius ratione, quae ut notum est, infimae Graecitatis barbariem sibi contraxit, sed rerum, quas χρίσει subiiceret, magnâ copiâ. TZETZES nempe permulta Veterum, quorum Opera perierunt, fragmenta servavit. Quae colligere et interpretari sibi proposuerat; mox, quo melius, *quos* libros ille secutus esset, intelligeretur, traditionum fabularumque origines indagare; TZETZAE errores et discrepantias investigare; in eius, fratrisque ISAÄCI vitam et fata, in dicendi rationem et *versus politicos*, quibus

usus est, inquirere: — haec sua Editione HAMAKERUS complecti decreverat. Quam cum desideremus, eo carior nobis haec est Censura. Quae, quia palmarias de illo Scriptore Operibusque eius cum editis tum ineditis animadversiones comprehendit, futuro eorum Editori simul iuvat ad novam Editionem rite instituendam.

Sunt fortasse, qui, illis cognitis, HAMAKERUM *his* Veterum Literis non unice vacâsse, aegre ferant. Videant illi, ne praecipitanter iudicent, incrementaque spernant, quae ex eius studiis Orientalibus *iisdem* Literis accesserunt. HAMAKERO, in Orientalium ditionem translato, nihil magis cordi curaeque fuit, nisi ut, quae ibidem ipsi obvia fierent, in communem Veterum, Graecarum praesertim, Literarum causam converteret. Optime hoc ipsi cessisse, eumque aliis in eo peritum itineris ducem exstitisse, insignia documenta probant. Nonnulla Graecorum Scripta, Graece deperdita, ex Arabica et Syriaca aliave Orientali Versione in vitam posse revocari, est tralatitium, a paucis vero tentatum. Multo tamen pauciores ex iisdem fontibus locos, *hiatibus et corruptelâ* laborantes, *supplere* et *restituere* conati sunt. Attendant illi, ut hoc afferam, locum quemdam DIOSCORIDIS ex IBN BEITARO ab HAMAKERO emendatum. Sed quid unum tantum locum commemoramus? Attendant illi universam eius studiorum rationem. Haec autem non modo Librorum deformatorum redintegrationem spectabat, sed *Antiquitatem universam.* Exemplum rursus excitare iuvat. Regni Trapezuntini, quod, in remoto Asiae Minoris angulo situm, per duo olim secula (ab anno 1204—1426) floruit, latent fere Annales. Hos quidem adumbrare conatus est FALLMERAYERUS, eique debitas gratias agimus. Agimus vero illas quoque HAMAKERO eâ, qua de illius Opere suam ipse sententiam proferebat, opportunitate, collatis O. O. et Byzantinorum Scriptis, non solum de huius Regni historia, sed de vicinarum regionum Geographia insuper disputanti.

»*Byzantinos*!" quosdam dicentes audire mihi videor, »Byzantinos quis le»gat? Delectamur quidem optimis quibusque aureae aetatis Scriptoribus, »istos vero inferioris aevi maculis contaminatos, pulchrique sensum corrum»pentes, detestamur!" — Hi, si studiis suis delectationem modo et voluptatem sectantur, prouti velint, agant: si vero utilitatem simul, ab eruditionis verae Patronis acriter perstringantur. Caret, quod lubenter fatemur, Byzantina dicendi ratio Atticorum puritate et concinnitate; simplicitate illa,

elegantia et salibus: at suas quoque illa habet virtutes. Quae etsi non eius sint efficaciae, ut illos Scriptores tamquam exempla aliquis commendet, hos tamen, optimos quippe aetatis suae testes, et eos diligenter consulere oportet, qui gentium humanitatisque historiâ, et vero omnes, qui rebus politicis contemplandis occupantur, praecepta ab illis tradita deprehensuros, quae semper expendantur, dignissima. Laudandum est profecto inceptum NIEBUHRII, illud *Scriptorum Corpus* recudentis, laudanda aliorum, hocce Opus post mortem illius alacriter continuantium, diligentia. HAMAKERUS, suum cuique auxilium semper praestans, huic item Operi exornando se subtrahere noluit. CHALCONDYLAE curam in se susceperat. Quem dudum quidem cognitum habemus, sed tam sordide editum, ut vix intelligi possit. Textum ergo quis non exoptasset meliorem, ab HAMAKERO, quoad fieri liceat, emendatum, atque perpetua Viri, in historia illorum temporum versatissimi, annotatione instructum? Quae enim CHALCONDYLAS conscripsit, Graecis et Orientalibus fontibus comparatis, summo cum studio illustrare sine ullo dubio studuisset: atque ita haud minorem laudem sibi conciliasset, quam Libello de *Expeditionibus in Dimyatham susceptis*. Quo edito dicta sua egregie confirmavit, docendi munus in hocce Athenaeo publice capessentis, Oratione habita *de Graecis Latinisque Historicis Medii Aevi ex Orientalibus fontibus illustrandis*.

De *Latinis*, ut videtis, illo die solenni etiam disseruit. Nec mirum! Mentis, omnium fere aetatum, variorumque populorum res gestas complectentis, *Romanorum* aeque ac Graecorum antiquitatem explorare, intererat. Ac Romanorum historia quoties rebus Orientalium implicita fuit! *Roma et Carthago*, quam dilectum argumentum Punicorum Studioso! Et gravissimum sane frugiferumque, GESENIO et HAMAKERO interpretibus. Huius *Miscellanea Phoenicia* iterum, quaeso, evolvite! Testantur haec interiorem eius cum Latinis Scriptoribus familiaritatem; locos Vobis offerunt, data occasione, explicatos emendatosque. — Carthaginienses autem dicens, haud mihi temperare queo, quin aliud eius indefessi laboris specimen proferam, quod, si publici iuris factum fuisset, omnes Literarum amantes grato accepissent animo. *Tabulam* intelligo *portus Carthaginis*, ex collatione Latinorum Scriptorum, ex novis Polybii fragmentis, a Maio repertis, ex iis

denique, quorum ex Peregrinatorum Humbertiique descriptionibus certior redditus erat, adumbratam. Adhuc praesens dies ille mihi ob animum versatur, quo hanc nobis Discipulis commonstravit, ita historiam enarrans, atque ex Tabula illa illustrans, ut omnis difficultas evanesceret, rebusque gestis medii interesse videremur, vota facientes, alios eius, quâ nos perfundebamur, voluptatis brevi fieri participes.

Hamakerus, communi Veterum Literarum saluti studiis suis prospiciens, *Disciplinarum* tamen haud immemor erat. Nihil, quod ex Libris Orientalibus amplificari possit, a se alienum existimans, eos, qui, ut Cl. uylenbroekius, alîus disciplinae studia cum Literis O. O. coniungerent, suis consiliis et auxilio lubenter adiuvit. Ac talem studiorum coniunctionem utinam Nostratium nonnulli Exterorum exemplo saepius imitarentur! Utilitates hinc ab omni parte redundantes hoc suadent, laudes reportandae sua sponte invitant, ipsa rei gravitas urget. Longissime a nobis absit Recentiorum in Artibus ac Disciplinis meritis ne tantillum quidem detrahere. At aequa horum aestimatio non impedit, quominus Orientalium beneficia iuste celebremus. Ne obliviscamur umquam, quid his debeamus! Namque Graecis Latinisque Disciplinas parum curantibus, penitusque fere deinde negligentibus, Orientales harum non modo fuerunt tutores, sed sagaces earumdem cultores; nec *nonnullas* tantum, aliis sepositis, verum *omnes* fere ita tractarunt, ut, non satis habentes, se Veterum progressus servâsse, et ad posteros propagâsse, novis eas inventis magnificisque incrementis exornarent. Technica vocabula, in Disciplinis severioribus, Mathematicis et Astronomicis, recepta, aeterna Orientalium studiorum documenta sistunt. Et quid dicam de Medicinâ, Chemiâ, Historiâ Naturali, aliis? Multa, fateor, Orientalium Scriptis iis de rebus insunt, quae vitiis Veteris aevi laborant, sed multa item nunc etiam cognitu digna. Et vere nullus labor, his investigandis consumtus, plane vanus est aut inutilis. Caveamus ergo, ne, eruditione haud vulgari, quae hîc requiritur, destituti, rerumve difficultate deterriti, gentes illas in contemtum adducamus, neve, tempus viventes, quo omnium merita uberrimâ laudatione aut splendidis monumentis honorantur, ne, inquam, iniqui simus in eorum populorum memoriam, quorum inventis rebusque gestis Recentiorum conatus interdum obscurantur.

Ac nunc, A.! Orationi finem ponere possem, si HAMAKERI studia linguis Semiticis tractandis unice absolverentur; sed iis cum se contineri non siverit, detis mihi progrediendi veniam, expondituro, *quomodo et quam late Linguarum O. O. Studii fines in Patriâ nostrâ protulerit.*

Semiticarum linguarum notio quamvis sit latissima, *Orientalium* tamen multo latius patet. Haec enim linguas non modo *nonnullas*, easque *varias*, sed *omnes;* neque *certas quasdam amplissimasque* Orientis regiones, sed *Asiam universam* cum *magna Africae parte* complectitur. Campus profecto vastus et immensus! quem ultra terminos Semiticos vel *ingredi* perpauci olim ausi fuerant. Verum nostrâ aetate eius amplitudo desiit esse impedimento, ne, praeeuntibus Anglis, erectioris inter Gallos Germanosque indolis Viri illuc se conferrent. Hae autem gentes in illas linguas incumbunt sua quisque ratione. Inter Anglos atque Gallos multiplex cernitur et constans et inter multos divisum linguarum earum studium, ingentesque, qui ab iis peraguntur, labores quemque in admirationem rapiunt. Quod his deest, subtile Germanorum ingenium addit, ac nova his adiiciens, edita philosophe retractat, linguarumque Grammaticam ad Disciplinae normam exigit. Huius autem Studii, quod ipsum iucunditate se commendat, *utilitates* nemini non apparere possunt. Rerum Orientalium exploratio ita aliis Literis et Disciplinis exornandis multo magis, quam ante, prodesse potest. Omnium porro, ut alia praetermittam, omnium fere linguarum interior indagatio subsidia accepit efficacissima. Editis, v. c. Veterum Indorum monumentis, horum lingua non sola cognoscitur, variaeque eius dialecti melius intelliguntur, sed omnes item linguae illustrantur, quae eandem, atque Indica, originem habent. Mutua haec linguarum collatio nobile illud *Grammatices generalis* Studium peperit, ac maiora ei in perpetuum incrementa addet. Etymologiam veramque sermonis naturam illa ita aperit, ut quid, his perspectis, reperire tandem nobis liceat, ne coniectura quidem huc usque assequi possimus. Historia vero non minus hoc Studio profecit. Gentium fata, si in remotiora antiquitatis tempora inquiris, quam obscura sunt, quam impedita! Horum illud tenebras pellit et Annales populorum supplet et auget. Ea enim linguarum comparatio, linguarum formationes per multa secula persequens, dum variam harum faciem variis temporibus adumbrat,

eamque temporis decursu immutatam oculis exhibet, privum cuiusque gentis characterem, ingeniique humani progressus simul indicat. Cognatarum linguarum communio, quae inter populos, spatio immenso nunc a se invicem disiunctos, cernitur, communem tamen horum ortum commonstrat: diversa earum linguarum inter hos conditio sortem, quae iis deinceps contigerit, diversam probat, eorumdemque tradit migrationes, antiquissimo aevo institutas, quarum non in historia, ne in traditione quidem, ulla memoria servatur. — Hi, A.! ex reliquarum O. O. linguarum Studio, hi ex earum cum aliis linguis collatione fructus redundabunt, ac iam, quamvis ultimis tantum lineis illa descripta esse videantur, percipiuntur quodammodo. Fervet tamen Studium, et quo plures huic se dicent, iusta eruditione praediti, et *vero* analogiae etymologiaeque sensu imbuti, eo pulchrior aliquando prospectus illucescet.

Tam late hodie patet O. O. Literarum Studium, talis ratio, tam praestans huius est consilium! Nonne ergo, dum hoc multorum etiam populorum aemulationem excitat, magnasque laudes iis conciliat, nonne, A.! doletis ex hoc tantae laudis utilitatisque fonte Nostrates nendum similiter hausisse, licet aditus sit apertus, bonorumque illorum consortium nobis pariter concedatur? Haec negligi num patitur rei ipsius dignitas, num Patriae nostrae gloria, quam Literis et Disciplinis tuendis et ornandis haec semper sibi peperit? — Scio equidem, GOLIUM, RELANDUM, MILLIUM, alios, praeter Semiticas aliis Orientalium linguis aliquam olim, et pro sui temporis rationibus laudabilem, operam navâsse; quinam vero hos conatus renovarunt, quinam meliores reddiderunt; quinam, verbo, praestantiores Recentiorum in his Literis colendis labores aemulari tentarunt? Haec, ut Viris Doctis, de aliis nostrae Disciplinae partibus bene meritis, magnopere vitio vertantur, ipsi non vultis, atque ego haud unam ob causam excusari posse arbitror. Literae enim Semiticae si ea, qua par est, ratione, semper tradantur, reliquarum Asiae linguarum docendarum provincia in nostris saltem *Academiis* peculiari Doctori mandetur. Quod nondum factum esse, aegre omnino ferendum est, sed aetatis nostrae calamitatibus, quibus Patria prae ceteris Europae Regnis premitur, illud tribuatur. Haec enim Studia fore ut cum Semiticis postea coniungantur, neutrarum optamus gratiâ. Amplior ille est ambitus, inque dies magis etiam se extendens, quam ut Vir unus, longâ Lectionum serie, aliorumque negotiorum mole obrutus, hanc provin-

ciam digne administrare possit. Ac nihilominus hae rationes, gravissimae licet et verissimae, et tales, ut Literarum Semiticarum Doctorem ab iis linguis Asiaticis, quae cum illis non arcte cohaerent, religiose adhuc deteneant, hae rationes non hanc apud HAMAKERUM vim habuerunt, ut hoc Studium intactum relinqueret. Talia a Nostratibus prorsus negligi, gentemque nostram illis praecipuorum Europae populorum laudibus plane excludi, indigne ferebat. Itaque, Semiticis aliquamdiu sepositis quodammodo, illis enixe operam dedit. Ac revera, si quis alius rem tanti ambitus aggredi posset, ita ut Semitica haud ita magnum detrimentum caperent, hoc potuit HAMAKERUS; hoc firma florensque valetudo, assiduitas, incredibilis linguas addiscendi et in earum naturam se insinuandi facilitas, singularesque mentis ingeniique facultates cum permittebant, tum eventum velut monstrabant secundum.

Literis *illis* Asiaticis per sex ultimos vitae annos praesertim deditus erat. Antea, haud ignorans, strenuum *Arabicarum* interpretem *Persarum recentiorum Turcarumque* linguarum scientiâ indigere non posse ad recentiores Arabum libros bene intelligendos, has iam diligenter coluerat. Cuius rei specimina exstant cum in Oratione, quam vernaculâ linguâ conscripsit, *de Ferdusio*, celeberrimo Persarum Poëta, tum passim per omnia eius Scripta reperiuntur. Quae autem de *Turcicis* et *Tataricis* linguis notavit, legentibus, hoc nobis molestum accidit, non tamdiu in his eum versatum fuisse, donec harum linguarum cum aliis nexum, nondum indicatum, animadvertisset. In earum vicissitudines iam inquirere coeperat, ac talem earum viderat esse conditionem, ut cultus et humanitatis illarum gentium primordia a remotissimis temporibus sint nobis repetenda. Quod si perpendant illi, qui Indos, Indiam invadentes, iam quodammodo excultos fuisse, mirentur, id, quod vix admittant, fide dignissimum certe censebunt.

De his Turcicis Tataricisque rebus HAMAKERUS praecipue disseruit in Operis KLAPROTHIANI, quod *Asia Polyglotta* inscribitur, Censura eruditissima, ipsique, ut ferunt, KLAPROTHIO gratissima. Hinc perspicitur, quid HAMAKERUM item moverit ad limites tollendos, quos plerorumque studiis positos videmus. Quamquam hoc ex aliis quoque Scriptionibus et in primis e *duabus* patet *Orationibus:* quarum alterâ, vernaculo sermone conscriptâ, *de Calidae*, praeclari *Sacontalae*, Indorum carminis, Poëtae, Cl. KAMPENII *horreum literarium* ornavit; alterâ, latinâ, *de Gulielmo Ionesio*,

munus Professoris Ordinarii in Academia Lugduno-Batava auspicatus est. Utraque si Vobis, A.! innotuerit, quosnam sensus in animo vestro excitavit? Nonne capti argumenti gravitate, dicendique genere fervido ac magnifico, Virum agnovistis ardentem et paratum ad alias Asiae linguas indagandas, ad ipsum illud carmen sublime non amplius ex Anglica Versione, sed ex Veterum Indorum lingua cognoscendum, ad ipsum denique IONESIUM, cuius in *Arabicis* dignus erat aemulus, in *Indicis* etiam eadem cum aemulatione imitandum? — Hoc quomodo ipsi cesserit, et *Indica* illa studia quomodo moderatus sit verbo nobis exponendum restat.

In his elaboravit, ut ad aliarum linguarum naturam melius investigandam, et vero maxime ad pulchram *Sanscritici* sermonis rationem cognoscendam, praestantissimosque Indorum Scriptores legendos haec ipsum ducerent; minime autem, ut quam primum Scripta eorum inedita publici iuris faceret. Postea forte hoc facturus fuisset, aptam Codicum conquirendorum opportunitatem nactus: quâ, mox oblatâ, egregie sane statim uti potuisset. Namque eruditioni iam accedebant subsidia, typographica, una cum insigni typorum *Arabicorum* apparatu ex Regis benevolentiâ impensis publicis dudum comparata.

Librorum ergo Indicorum editionem in posterum differens, aliis, et cum hoc Studio coniunctis, rebus explorandis interea occupatus erat. Studium intelligo, quod modo adumbravi, *Grammatices generalis.* Hanc Disciplinam colere, exornare, eiusque in Patria nostra fundamenta iacere cogitabat. Arctis autem terminis, ne initio quidem, hanc circumscribi volebat. Consilia, quae volvebat, eo tendebant, ut *omnes* omnino linguas mente tandem complecteretur; eaque, si voluisset Deus O. M., ipse in paucis exequi potuisset. Haec vero paulatim in eo maturescentia vidimus. Incredibili linguarum comparandarum amore incensus, huic primum indulsit Dialectis *Semiticis* conferendis. Ex his deinde, quod ex *Miscellaneis Phoeniciis* liquet, multa nomina antiqua, in *Graecis Latinisque* Scriptis obvia, expedire tentavit. *Persica* porro cum *hodiernis Europaeorum linguis* quindecim iam abhinc annis semper componere amabat. Quae convenientia si eo tempore perspicax eius ingenium fugere non potuit, hoc Studium cum fervere inciperet, cum a nonnullis praeclare tractaretur, cum in veterem Indorum linguam ipse se insinuâsset, hoc Studium quanto magis eum tenere totumque capere

debuit! In primis vero postquam suis ipse laboribus utilitates perceperat, quae exinde in linguarum scientiam gentiumque historiam emanant. HOMERUM v. g. dilexerat semper et admiratus erat, cumque BUTTMANNO viderat, Grammaticos in eo interpretando non satisfacere, neque etiam erroris esse immunes. In Indicas autem Germanicasque linguas inquirens, quid Grammaticis desit, cum antiquis omnibus, tum recentioribus plerisque, praestantissimis ceteroquin huius Poëtae interpretibus, perspicit. Multorum porro Troianorum nominum rationem intelligit et Troiani Regni historiam luculentius exponi posse animadvertit. Explicantur denique vocabula Graeca et Romana obsoleta, vis particularum, universa construendi ratio, alia, quae Veteres ipsi ignorarunt, pulsis tenebris, manifesta apparent. Quibus ceterisque huius generis disquisitionibus si insint festinantius audaciusque dicta, haec *indicentur* omnino ac simul ab earum rerum Peritis *emendentur*, sed eâ cum humanitate, quae omnibus, praecipue Magnis Viris, et vero post fata iisdem debetur.

Rationes, quas in his Studiis colendis HAMAKERUS sequebatur, non uno nomine praedicandae sunt. Abripiuntur nonnulli insano linguarum comparandarum furore, iique, nullo iudicio adhibito, meram *sonorum* convenientiam sectantur. Ab istiusmodi ineptiis toto animo abhorrebat, acerrimeque in earum Studiosos invehebatur. Et iure quidem. Sic enim sexcenties fallimur; sic componuntur aliena; ea vero, quae interiorem, nec statim patentem, cognationem habent, vulgo omittuntur. Doctrinam *de literis affini sono inter se permutatis* minime vituperabat, ut suo ipse exemplo probavit, sed non ferebat eiusdem *abusum*. Cuncta, verbo, ut firmo Grammatices fundamento superstruerentur, necesse esse, arbitrabatur. Hanc normam sibi posuerat in aliorum laboribus diiudicandis, câque in re versatus est cum mirabili profecto harum rerum peritia, nec sine iudicii aequitate. Improbanda emendare, probanda iuste laudare; suam quidem ipse viam, more suo, sequi, at quid aliis deberet, ingenue etiam profiteri solebat. Omnibus haec innotuerunt, qui de GRIMMIO, BOPPIO, BECKERO, SCHMIDTIIS, POTTIO, aliis, publice privatimque eum loquentem audiverint. — Quod autem in Anglis atque Gallis, quin in Germanorum principum Virorum plerisque desiderabat, hoc erat, quod in harum linguarum comparatione *nostram linguam* vulgo negligerent, aut non penitus cognitam, perperam saepius adhiberent.

Istud emendare studuit. Vernaculi sermonis, cuius divitiae ipsi apertae erant et pervestigatae, summam ea in re dignitatem et momentum gravissimum verbis exposuit, exemplis declaravit, eiusque honori, a multis egregie vindicato, optime prospexit.

Hoc subsidio prae aliis quippe instructus, omniumque fere Europae Asiaeque linguarum peritus, animo praeterea praeiudicatarum opinionum immuni, hanc Disciplinam utinam per annos longe plures coluisset, eiusque studii specimina edidisset quam plurima. Unum nempe eiusdem modo habemus: ex quo coniectare licet, quamnam fructuum ubertatem et praestantiam labores diutius continuati laturi fuissent. Illo autem, parum aberat, quin etiam fuissemus privati. Nam HAMAKERUS, alienus licet a vulgari Nostratium in Scriptis edendis tarditate, maiorem tamen multorum Germanorum hac in re festinationem improbabat. Non prius ergo Opus eruditum Orbi Literato tradere volebat, quam eos, quos necessarios duceret, in Studiis illis progressus fecisset. Quem scopum cum attigisset, Cives suos et Populares primum etiam monendos, edocendos, excitandos esse censebat. Hanc ob causam *publicas* illas *octo Lectiones* ante hos duos annos in Academia Lugduno-Batava habuit, easque, ut omnium, eorum praecipue, qui his interesse non potuerant, desiderio satisfaceret, superiori anno, instructas annotatione, edidit. Si morem cogitas, quo dicta, *ore pronunciata*, paucioribus, *edita* vero pluribus exemplis comprobare conamur; si porro earum Lectionum spectas consilium; si Oratorem, si Auditores, non miramur has adeo placuisse. HAMAKERUS uti noverat in Auditoribus Viros esse Veterum Recentiorumque Literarum peritissimos, omniumque Disciplinarum amantes, ita hi suum cognitum habebant Doctorem, permagni eum faciebant, ex eo illa lubenter audiebant, multiplicisque doctrinae copiâ si quando obruerentur, hanc non indignabantur, sed ferebant, immo vero iustâ prosequebantur admiratione. Sic scilicet nonnulli explicent ea, quae sibi videantur vix credibilia: insignem illam Auditorum coronam, perpetuosque eorum adventus, quae HAMAKERO manifesta publicae comprobationis erant indicia, optimumque ad haec Studia novo cum ardore persequenda incitamentum!

Sed incitamento HAMAKERUS in *his* quoque Literis tractandis vix opus habebat. Duorum Operum iam fere absolutorum spem fecerat, quorum Edi-

tio videtur instituisse. Alterum exhibiturum fuisset *Grammaticas de linguis*, quae dicuntur, *Indo-Germanicis Observationes; Comparationem Radicum linguae Sanscriticae cum reliquis dialectis* alterum. Eius autem in has Literas ardore in dies augescente, cuius ne publica quidem indicia desunt, nullum est dubium, quin, promissis postquam steterat, plura aliquando addidisset. Hoc enim testatur insignis apparatus, quem per longum tempus iam congesserat, eximiis Observationibus refertus.

Haec vero Opera quominus absolveret, mors impedivit. Sic, A.! Deus voluit O. M. Ploravimus iure et acerbe. Virum enim desideramus incomparabilem, passique sumus iacturam quam gravissimam. Sed lacrymis iungamus animum, summâ Dei Numen veneratione prosequentem, magnasque Ei, tantum nobis aliquamdiu Virum largito, gratias agentem perpetuo. Eius enim memoria vivit, atque vivet in aeternum. Haec nobis in mentem revocet, quae fecerit, quae dixerit, quae monuerit. Haec nos incitet ad nondum absoluta perficienda, ad vix incepta absolvenda, ad intacta hucusque inchoanda, tentanda saltem. Talia ut aggrediamur continuo, tum Patria, tum universa et Literarum ac Disciplinarum, et Humanitatis causa suo iure flagitant. Quibus conatibus promovendis quicunque inservire ipsi nequeunt, hi faveant iisdem, validisque stimulis alios excitent, et auxiliis iuvent. Omnes, quod possint, faciant, quo celerius humanae cognitionis fines proferantur ulterius.

In Vobis autem, Iuvenes Ornatissimi! in Vobis praesertim, qui Veterum et Orientalium Literis operam navatis, Vestrisque Sodalibus, Academiarum aliorumque Athenaeorum Civibus, in Vobis omnibus, non minus quam in Viris, aetatis flore vigentibus, Patria suam spem posuit. Haec si quando magnis cladibus afficitur, — quas quoties hisce annis subiit! — ab iis pariter atque a Vobis has calamitates reparatum iri merito expectat. Sancto hocce officio quo religiosius fungamur, Magnorum Virorum exemplum et monita nobis ob oculos ponamus perpetuo. Ita *quaenam* agenda sint, et *quomodo* singula, intelligimus; ita *quid* effici, quid *unus* praestare possit, videmus. In hos Viros cum intuemini, non ultimo loco, sicuti nullus dubito, mente Vobis obversabitur HAMAKERUS. Hunc semper colatis, huius exemplum imitemini, huic, quantum fieri possit, similes reddamini. —

Ne, Commilitones! desperate, omnes. Scio equidem, difficile esse et perpaucis concessum hac viâ, ut incessit ille, incedere. Hoc vero a nobis etiam non exigitur. Quisque pro parte virili suis utatur facultatibus. Studium quisque instituat haud interruptum et ardore non exstinguendo inflammatum. Nullis umquam aliquis deterreatur difficultatibus. Talis labor omnia vincit. Aspera via ad superiora tendit. Hilaris illic et amoenus est conspectus. Boni omnes comprobatione ipsum prosequuntur, quodque longe maius est, ex recte factorum conscientiâ maximam ipse consequitur felicitatem et plurimi aliquando a gratis Posteris fiet.

O beatam terram, quae eiusmodi filios fert atque alit! felices Literas, quibus tales contingant cultores! Talem Doctorem, dilecta Patria, HAMAKERUM habuisti! Hocce Athenaeum ornantem, novumque et insignem splendorem Academiae Lugduno-Batavae addentem, suique admirationem universo Orbi Erudito iniicientem, eum vidisti. Eius similes ut videas aliquando Literarum O. O. Vindices, opto vehementer.

Oratione pronunciata, A. H.! ad eorum accedendum est, quae Athenaeo, me Rectore, prospera adversaque evenerunt, commemorationem.

Et hanc quidem cogitanti, mihi primum ob oculos versatur Collegium Curatorum, in quod hoc biennio a Rege lecti sunt Viri Nobilissimi SJUCKIUS VAN WELDEREN RENGERS et HELENUS MARINUS SPEELMAN WOBMA. Vobis, Viri Gravissimi hanc dignitatem ex animo gratulamur. *Vos* Duumviris, de Athenaeo olim optime meritis, AEBINGAE VAN HUMALDA et ETSARDO REGNERO VAN WELDEREN RENGERS, *Vos*, inquam, iis successisse, magnopere gaudemus. Quo enim in res nostras animo sitis, continuo nobis perspicere licuit. Quam ob rem nulli dubitamus, quin, quâ Athenaei curam adhuc gessistis, eâdem cum benevolentiâ tum prudentiâ hanc porro gesturi sitis. Hinc illud consequemini, quod longe iucundissimum ipsi habetis, ut Literarum Patroni, ut Scholae Franequeranae Fautores, ut Frisiorum, quot-

quot sua bona norunt, Vestra et merita maximi faciant et nomina digne celebrent.

Haec dicentem, illius temporis me subit memoria, quo Tu, Vir Amplissime, Frisiae Gubernator! solus fuisti Curatoris munere functus. Negotiorum, quibus Tu praees, multitudo et gravitas haud impediverunt unquam, quominus Athenaei commodis consuleres. Novimus, quantâ illud benignitate prosequaris, quantum Tua unius auctoritas valeat ad optata quaeque, pro *horum* temporum ratione, huic impetranda, quamque gratus Tibi perpetuo Optimi Regis erga illam Scholam sit favor, quam Ipsius Maiores ante ducentos et quinquaginta, et quod excurrit, annos condiderunt. Tibi profecto est, quod publice gratias agamus, sed gratiarum hoc comes esto votum, Tu ut diu nobis serveris Curatorum Collegii Praeses.

Vestrum Ordinem perlustrans, Collegae Coniunctissimi! insigni sane laetitia afficior. Eum enim integrum fere contemplor. Unus tantum abest GEERIUS, oculorum morbo, ut literae eius perhibent, iterum laborans. Tu vero nobis etiam nunc servatus es, vegetâ Tuâ senectute Ordinis nostri decus, Vir Cl., DE CRANE! Deo omnes gratias agimus, vitam tuam producenti, tuaeque canitiei iuvenilem addenti vigorem, adeo ut ad hunc usque diem et consiliis gestias Amicorum studiis inservire et exemplo ad industriam studiorumque constantiam Iuniores excitare pergas. Salvâ valetudine, salvâ hac mentis serenitate, salvo animo hocce placido, ut illis vitae tuae oblectamentis Literarumque deliciis per longum tempus sine intermissione fruaris, Nostrûm quisque etiam atque etiam precatur.

Quid porro de Ordine nostro referendum habeam, A.! ipsi iam suspicamini. Desideramus enim Virum Cl. IANUM GULIELMUM ERMERINS, huius Athenaei per decem, et quod excurrit, annos ornamentum, in Academiam autem Groninganam superiore anno delatum. Laetetur illa Academia suo Doctore, tantâ alacritate conspicuo, eoque studiorum ardore, cui amplior quae obtigit in Disciplinis Mathematicis et Physicis elaborandi opportunitas non possit non insigni his ipsis esse emolumento. Nos vero nostrum dolo-

rem non dissimulamus. Memores fervidi animi, quo Athenaeo, quo Discipulis, quo suae Provinciae, quoad poterat, hîc consuleret, Athenaei iacturam merito lugemus. Deinde amicitiae cogitantes vinculum, quo Nobis, ipsius Collegis, iunctus erat, benevolentiamque, quae ipsi cum Civibus huius Urbis intercedebat mutua, Amici ab integro Amico, Cives a Cive dilecto, inviti disiungebamur. Nostra vota si rata fiant, vitam in nova statione iucundam deget, felicem, Disciplinis fructuosam.

Desiderii huius acerbitatem valde lenivit Decretum Regium, brevi mox editum, quo ERMERINSII partes Tibi, Vir Cl., nobisque Amicissime, ENSCHEDÉ! mandatae sunt. Tuus in illas Disciplinas amor et ardor ad publicam notitiam ante iam pervenerant, eosque sensus et eâ, quam habuisti, Oratione, et singulis muneris tui partibus per integrum annum strenue peragendis, omnibus comprobasti. Sustentet atque alat Deus vires tuas et facultates, quibus hanc provinciam egregie, ut vis, atque digne, ut potes, administres. Gratissimus sine dubio Tibi est *Physicus ille apparatus*, quem hîc invenisti, quique nobis carae est hereditatis instar, a Decessore Tuo huic Athenaeo relictae. Adveniens ille repererat eum, *antiquioribus* quidem, ut aiunt, instrumentis, refertum, sed cum in aliis Disciplinae partibus, tum in Electricis atque Magneticis, aptis idoneisque subsidiis carentem. Nunc autem qualis sese habet! Nonne his etiam ita est instructus, ut Scholarum tuarum usibus bene inserviat? Nonne multi aequi earum rerum iudices apparatum illum summa cum voluptate contemplantur, summisque laudibus efferunt? — Praestent illi thesauri Tibi in tuis Disciplinis docendis et promovendis summam utilitatem, et pro subsidiorum nostrorum tenuitate nova suppellectile identidem tuis auspiciis plurimum augeantur. Ceterum, mutuâ amicitiâ iuncti, Tu tuas, Nos nostras, quas profitemur, Disciplinas in communem Literarum Doctrinarumque causam colamus, quo nihil habeatur iucundius, nihil antiquius, nihil praestantius.

Quod de reliquis, quibus Athenaeum nostrum ornatum est, studiorum subsidiis, vobiscum nunc communicandum est, A.! paucis absolvam. Quid enim Vos detineam titulis afferendis Librorum, quibus *Bibliotheca publica* per hocce biennium non quidem onerata, at, GREVIO nostro, Viro Cl.,

omnia prudenter moderante, in multis amplificata est. Quid de *Horto* dicam, egregiarum plantarum copia, auspice Cl. MULDERO, uberrime instructo, Hortulanique alacritate eleganter semper adornato? Sed, his indicatis, illud referre lubet, quod neminem omnium, qui huc veniant, Hospitum, me iudice, latere oportet. Caret adhuc Athenaeum *Museo publico*, ad Historiam Naturalem docendam accommodato. Quod quam necessarium sit ad hanc Disciplinam rite ac facile explicandam, quisque perspicit. Nec tamen eius desiderio magnopere tenebimur, quamdiu MULDERUS noster *Franequerae* suo utitur apparatu. Est hic, ut multi Vestrum norunt, splendidus ac sane magnificus. Museum est, A.! laudibus meis longe superius. Conditum a Patre Cl., a Filio deinceps tantopere auctum est, ut in aedibus publicis, quae ipsi habitandae conceduntur, spatium ad singula eâ, qua par est, ratione disponenda non amplius sufficeret. Verum hoc incommodum nunc deminutum est. Continuatis ibidem duobus conclavibus, locus paratus est amplus, ad has divitias exponendas multo aptior, et dignior, qui has comprehendat. Quam ob rem, ut Vobis, Curatores Amplissimi! pro Vestris hac in re promovenda auxiliis gratias agimus, ita Tibi, Amicissime MULDERE! hunc votorum eventum gratulamur, sperantes, fore, ut huiusce Musei, quod nemo non lubentissime invisit, Periti autem admirantur, magis magisque augeatur praestantia. Secundi Tibi sint omnes in eo locupletando conatus, cunctaque Tibi feliciter cedant, quae in tuarum Disciplinarum emolumentum meditaris.

In rebus Athenaei enarrandis quam vellem, A.! ut, quae iure tristissima dicas, mihi memoranda occurrerent nulla! Sed in lectissimam hanc intuens Iuvenum coronam, eam video mihi non contingere felicitatem. Duos enim lugemus Athenaei Alumnos, WOUTHERUM CHRISTIANUM ZIMMERMAN et IANUM GULIELMUM LAMBERTUM DE GRIENT DREUX; utrumque, *illum* superioris anni mense Augusto, *hunc* mense Iunio anni proximi, repentina morte extinctum; carissimum utrumque Parentibus suis et Cognatis, Magistris et Condiscipulis; ac lacrymis sane dignissimum, ab illis ipsorum causâ effusis. — Vos, Iuvenes Ornatissimi! qui utriusque novistis in studiis diligentiam indefessumque in difficultatibus, quas illorum initia parere solent, exantlandis superandisque ardorem, Vos, inquam, constanter ea perficite, quae Vo-

bis agenda commendantur. Tum optatam contingetis metam. Tum Vobis etiam laudes paratae sunt, quas egregii consequuntur Literarum Studiosi. Audivistis, quid hocce anno evenerit. Iuvenis praestantissimus, IOHANNES WYBRANDUS TROMP, olim huius Athenaei, nunc Academiae Lugduno-Batavae Alumnus, ibidem, conscriptâ Commentatione, aureo praemio ornatus est. Sed quid plura? Verissimum est, quod utinam a Vestrum etiam quovis comprobetur, vetus nostrum Proverbium: *excitant monita*, *attrahunt exempla*.

Superest, ut Athenaei regundi munus Successori tradam. In proximum enim biennium a Curatoribus Amplissimis Rector creatus est FRANCISCUS DE GREVE, Iuris Utriusque Doctor, eiusdemque in Athenaeo nostro Professor Ordinarius. Te ergo, Vir Cl.! Rectorem Magnificum renuncio et proclamo, Teque invito, ut huc escendas, Tuique imperii fasces Maiorum more accipias.

En igitur *Sceptra*, quae non ea Nobis negotia facessere solent, ut placida, quam hîc degimus, vita his gerendis magnopere turbetur.

Album illud multis, Te Rectore, locupletetur nominibus, iisque maxime, quae Athenaeo Franequerano, quae Patriae, quae universae Literarum Disciplinarumque causae sint honori, decori atque ornamento.

ANNOTATIO.

P. 8. lin. 10. a fine. *sed — fuit* Vid. GESENII *Gesch. d. Hebr. sprache u. schrift.* Leipz. 1815, p. 126 seq. et WILLMET *Schets van den staat der O. liter. in Holland in de 18 eeuw.* (Werken v. d. 3e cl. v. h. Kon. Nederl. Inst. II p. 229).

P. 8. lin. 4. a f. IOSEPH. IUST. SCALIGER. Hic Studium Literarum O. O. in Patria nostra primus excitavit, eiusque non modo Patronus erat insignis, sed ei quoque ipse operam dedit. Quod ut apparet ex omnibus eius Operibus, atque ex Codicum M. S. S. thesauro, quo post mortem Bibliothecam L. B. donavit, ita huius Studii fautorem sese praestitit in ERPENIO ad illud perducendo et consiliis suis atque auxilio Literarum O. O. amantibus numquam non impertiendis. Vid. M. SIEGENBEEK, Viri Cl. *Geschiedenis der Leidsche Hoogeschool*, I, p. 13. II, p. 10, 12, 19, 79 seq.

P. 8. lin. 4. a f. *et* DRUSIUS *noster.* Ipsum eius nomen erat IOHANNES VAN DEN DRIESCHE. Praeter linguam Hebraicam, Chaldaicam item et Syriacam hic in primis coluit, omnesque illas cum L. B. docuit (SIEGENBEEK, l. l. I, p. 32. II, p. 57), tum vero etiam, Franequeram delatus, in easdem naviter incumbere perrexit. Non pendens a solis Iudaeorum Magistris, Versionibus Antiquis, in his maxime Graecae Alexandrinae, Aquilaeque, Symmachi ac Theodotionis reliquiis, summâ cum curâ collectis, et Scriptis HIERONYMI permultum operae impendit. Conferantur modo varia eius Opuscula, *et* seorsim edita, *et* maximam partem in *Criticis Sacris* (de quibus vid. GESEN. l. l. p. 115) recepta; *inedita* quoque nonnulla, quae cum libris haud paucis, perpetuâ ipsius annotatione instructis, in Bibliotheca Franequerana servantur. Hunc DRUSII apparatum Literarium, lectu licet plerumque difficillimum, accuratissime tamen, quantum

fieri possit, Vir Doct. H. AMERSFOORDT in publicos *Bibl. Franeq.* usus descripsit. Inter MSS. autem DRUSII prae ceteris commemorandum est *Lexicon Syriacum*, ex Syriaca V. T., librorumque quorumdam Apocryphorum et N. T. Versione compositum, Hebraicis Graecisque, quibus Syriaca respondent, una cum horum interpretatione Latina, passim adiectis. Ceterum leg. Curiander in libro: *Vita et Scripta* I. DRUSII Franeq. 1616. 4to.

P. 8. in fin. *sed* ERPENIO *et* GOLIO *in primis praeeuntibus.* Haec periodus, de qua loquitur SIEGENB. l. l. I, p. 202—205, (collatis ERPENII dictis in praef. *Gramm. Ebr. generalis*, cuius 3a editio prodiit L. B. 1659 8o) Studio Codicis Hebr. perquam infausta erat. Seculo enim 17 ineunte, oriebantur in Patria nostra, ac deinde invalescebant, et in Acad. etiam L. B. misere admodum saeviebant lites istae, inter *Reformatos* acrius agitatae. Quae, cum iam dudum multos a germano huius Codicis Studio avocassent, mox, ubi eo valuerant, ut Libri Symbolici promulgarentur, multorum V. T. locorum interpretationem exhibentes, quam improbare nemini licebat, multo plures ab eodem deterruerunt. In primis vero Studium illud languescebat post editam publicâ auctoritate V. et N. T. Versionem Belgicam. Quam solam sequi cum plerique Theologi satis haberent, et Theologicas quaestiones excutere mallent, linguae Hebr. Studium intactum fere iacebat, donec a COCCEIO aliisque, praesertim ab ALTINGIO et ALB. SCHULTENSIO instauratum, hîc iterum florere coepit.

Sed haec temporum conditio multum abest, ut *reliquis* dialectis Semiticis colendis aeque adversa fuerit. Contra *Arabicis* Literis opera navabatur insignis. Hae enim Literae non unam ob causam eo tempore Viris sagacioribus erant gratissimae. Fruebantur earum Cultores dulci quietis suavitate, nulli irae expositi. Incitabantur illi Procerum ac Summorum Magistratuum favore et auxiliis. Denique instructi erant SCALIGERI Codicum O. O. thesauro, a GOLIO aliisque magna Librorum MSS. copia deinceps aucto. Vid. SIEGENB. l. l. I, p. 135. II, p. 14 seq.

His temporibus floruerunt ERPENIUS et GOLIUS. — ERPENIUS (THOMAS VAN ERPE) ab anno 1613, quo L. B. vocabatur, linguam Arabicam aliasque linguas O. O. docuit; Hebraicam vero ab anno 1620, quo huius linguae tradendae munus, CODDAEO mortuo, in ipsum deferebatur, per 4 annos, quos postea vixit, ac de ea quoque, editâ Grammaticâ supra laud., meritus est. De ERPENIO vid. SIEGENB. l. l. I, p. 102 et II, p. 12, 13, 102 seq.; in primis vero G. I. VOSSII *Oratio in obitum* ERPENII, L. B. 1625 4to; quae, hodie rarissima, haud pauca continet, plerisque nunc parum cognita. Exinde v. c. videmus, quaenam ERPENII, vivi etiam, nominis esset celebritas. Quam cum sibi iam comparare incepisset, Parisiis versans — ubi cum multis Viris Doctis amicitiam iniit, in his cum duobus Maronitis, GABRIELE SIONITA et IOHANNE HESRONITA, e Libano oriundis, tunc temporis Arabicae linguae in Acad. Paris. Professoribus, (p. 35) — in dies illa crevit ita, ut eruditissimi quique ex Europa universa Viri eum adirent ad difficillimas, a nemine explicatas, quaestiones solvendas (p. 30). Eius autem literae Arabicae, ad Imperatorem Maroccanum missae, cum huic tantopere placuissent, ut animum ipsius totum sibi devinciret (p. 33), nostrae Civitatis Proceres, his cunctis cognitis, eum crearunt Epistolarum, quas ex Asia et Africa acciperent, interpretem (p. 36).

Praecipue vero memorabilis est ardor in Literas O. O., quo Batavorum animos suo exemplo imbuit. Neque Theologorum adeo, sed aliarum variarumque Disciplinarum Studiosorum Antistitumque, immo vero, quod ceteroquin raro cernitur, ex Nobilium Ordine Virorum. Commemorantur ALEXANDER VAN CAPPELLE, Gelriae Cancellarii filius, et BOREELIUS; ADOLPH. VORSTIUS, Med. Prof. L. B., et IOH. BRUNAEUS, Iurisconsultus; Pauli Merulae filius, GUL. MERULA, qui, nisi mors repentina intercessisset, Coranum cum variis Codd. collatum edidisset; alii, Viri multiplicis eruditionis laude praeclari (p. 17—19, 23). — Scripta, quae ERPENIUS edidit, satis nota, ibi enumerantur p. 22—24. Minus nota sunt, quae inedita reliquit. Conscripserat *Grammaticam Aethiopicam; Syriacam* quoque et *Chaldaicam*, quam utramque post ERPENII mortem edidit CONST. L'EMPEREUR, ac deinde W. HOLTHENUS L. B. 1659 8°. Parabat porro *Lexicon Arabicum* et *Bibliothecam Orientalem;* editionemque *Geogr. Abulfedae* et *Corani*, Arabice et Latine cum variis lectt. et nott., atque *confutatione* et indicibus. Editionem denique *N. T.* cum variis lectt. earumque diiudicatione, additâ versione Lat. Syr. Arab. Aeth. et Armen., cum lat. earum versione et collatione inter illas instituta, sub titulo *Tabernaculi Christi* (p. 25—27). — Praeter carmina in obitum ERPENII scripta, huic Orationi additur Catalogus Codd. MSS. Arab. Pers. Turcic. Hebr. Syr. Malaic., quos reliquit.

IACOBUS GOLIUS, natus Hagae Comitum anno 1596 ex nobili genere, duce ERPENIO magnos in Literis O. O. progressus fecit. Insatiabili in eas ardore flagrans, ERPENIUM, qui anno 1622, legatus ad Maroccanum Imperatorem mittebatur, in hoc itinere comitatus fuit, cumque Codd. haud paucis in Patriam rediit. ERPENIO anno 1624 mortuo, Literarum O. O. provincia, uti et Matheseos, Golio anno sequenti mandabatur. Linguam Arabicam quo melius cognosceret, Codicesque sibi plures compararet, anno 1625 publicis Civitatis sumtibus iter in Orientem fecit, unde anno 1629 redux, eas, quas dixi, disciplinas ad annum docuit 1667, quo mortuus est. Conf. SIEGENB. l. l. I, p. 135, 138, 184. II, p. 14 seq. — Edito Lexico Arabico notissimo, e DIEUHARIO petito, consilium deinde videtur iniisse GIGGEJI Lexici emendatius edendi. Hoc enim KAMUSI versionem exhibet adeo pravam, et, multis omissis, imperfectam, ut eo vix uti possis. Suum ergo GIGGEJI exemplum e Cod. Arabico suppleverat simul et emendaverat, crebrâque annotatione auxerat, collectâ ex aliis Lexicographis, Glossatoribus, Scriptoribusque varii generis, numero 30, atque ex iis, quae ex ore Praeceptoris sui Africani acceperat. Hocce exemplum possedit WILLMETUS. Vid. eius *Schets* cet. l. l. p. 161, et eiusdem *Orat. de retinenda antiqua Batavorum in Litt. O. O. gloria* p. 25, uti etiam praefatio *Lexici Cor.* p. VI.

P. 9. lin. 3. LUDOVICUM DIEVUM. LUDOV. DE DIEU anno 1590 Flessingae natus, Professoris munere in Acad. L. B. non functus est. Erat Orator sacer coetus Leid. et simul unus ex Praefectis Collegii, quod ab Ordinibus Hollandiae anno 1592 conditum, ab his nomen habebat (*Staten-Collegie*). cf. SIEGENBIEK l. l. I, p. 59—61. II, p. 291.

P. 9. lin. 6. *Nonnulli — instituunt.* V. c. de Dieu in *Gramm. lingg. O. O.* L. B. 1628;

deinde ALTINGIUS. Vid. GESEN. *Gesch.* cet. p. 117. De ALTINGII meritis egit A. YPEIJ, Vir Cl., in Orat. inserta *Ann. Acad. Gron.* 1824—1825.

P. 9. lin. 8. *Plerique — Lexicographices. Antiquitatem* v. c. tractabant BRAUNIUS, VITRINGA, deinde RELANDUS, MILLIUS, postea RAVIUS, SCHACHTIUS, alii. *Philologiam* ALTINGIUS, MORINUS, qui in Athenaeo Amstelod. Litt. O. O. primus docuit, aliique complures. De COCCEII *Lexico* vid. quoque H. A. SCHULT. in *Bibl. Crit.*, a DAN. WYTTENB. edita I, parte 3, p. 125—129.

P. 9. lin. 11. *Prodit magnus* ALB. SCHULTENSIUS. De meritis A. SCHULTENSII leg. in primis Cl. ROORDA *Gramm. Hebr.* I, in praef. p. VII seq. GESEN. l. l. p. 126—130. Etiam I. G. HERDER (*brieven over de beoefen. der Godgel.* I, p. 10 seq.), docens, eum cum in *praef. Gramm. Arab.* ERPENII, tum alibi, linguae Hebr., tamquam ex coelis in terram vocatae, suum locum assignâsse, atque linguam Arabicam non adhibuisse, ut quorumdam modo vocabulorum collationem institueret, aut splendida, sed inani, farragine linguae Hebr. Studium oneraret, quod fecerunt eius Discipulorum nonnulli, verum ut, perspectis *illius* ingenio et universa ratione, *hanc* illustraret, et quoad posset, in vitam revocaret.

P. 9. lin. 21. SCHULTENSII *Filium — inclaruit.* IOH. IAC. SCHULTENSIUM O. O. linguarum peritiâ Patri non cessisse et omnes uno ore affirmant, et praesertim, Arabicae linguae ratione habita, apparet ex Lexici Goliani exemplo, quod manu terere solebat, cuius marginem multiplici annotatione, ex libris editis, in primis vero ex Codd. MSS. derivatâ, ubique ornavit. Ut exinde videmus, quot quamque prudenter omnes hos libros legerit, ita Arabicis eodem modo, atque Pater, ad Hebraica explicanda usus est. Duo tantum Scripta, quae hoc probent, supersunt. Prius, quod edidit L. B. 1742, cum annum ageret 26um, *de utilitate Dialectorum O. O. ad tuendam Cod. Hebr. integritatem.* Alterum agit *de fructibus in Theol. redundantibus ex peritiore lingg. O. O. cognitione;* quae est Oratio, habita L. B. 1749, cum Theol. et L. L. O. O. munus capesseret. — Plura eum non scripsisse, nec ullum Scriptorem Arabicum edidisse, magnopere ac merito dolemus; ipsi vero, causis eius rei consideratis, lubenter illud ignoscimus. Triplici enim fungebatur munere, L. L. O. O. et Theol. Professoris, Collegiique, commemorati modo, Praefecti. Accedebant, ut ferunt, curae domesticae, eaeque perpetuae et quam plurimae, ortae ex misera carae Uxoris, mente captae, conditione. Controversiae porro Theologicae, eo vivente saevientes, quibus cum astutiâ quorumdam implicitus esset, reliquâ otii sui parte privabatur prorsus ac plane *invitus.* Namque erat quidem Theologus liberalis in paucis, eamque ob causam in nonnullorum odium invidiamque incurrit, sed moderatus simul, pacis amantissimus et vero insigni animi praestantiâ quam maxime amabilis. Suâ igitur, quam sibi comparare potuerat, famâ, aliorum et communis Patriae ac Religionis commodis promovendis postpositâ, Theologiae causam agebat, eique litibus, si fieri posset, prudenter componendis quam plurimum inservire conabatur, alios laedere et offendere quidem studiose evitans, omnibusque parcere et cunctis, futuris Theologis

praecipue, prodesse studens. — Et nihilominus maxima sane erat I. I. SCHULTENSII vivi apud Exteros etiam in Lit. O. O. nominis celebritas. Etenim (quod FRED. THEOD. RINKIUS, H. A. SCHULTENSII Discipulus olim ac sincerus Amicus, ex eo compertum, in libello tradidit, cui titulus est: *Heinrich Albert Schultens* Rigae 1794, p. 20 seq.) FREDERICUS MAGNUS, Borussorum Rex, quum Epistolam, quam ex Oriente acceperat, ita exaratam, ut a summis quibusque eius temporis Litt. O. O. Doctoribus legi non posset, ad I. I. SCHULTENSIUM misisset, hic eam non modo expedivit totam, sed vertit quoque atque ita explicuit, ut a FREDERICO aureo nummo donaretur. — Permultum studii praeterea, ut Pater atque Filius, Graecis Latinisque Literis impendit; cuius, in libris, quos reliquit, conspicui, mentionem fecit H. A. SCHULT. in Orat. *de studio Belgarum in Literis Arabicis excolendis* L. B. 1779, p. 40—43. *Hic* autem acutus aliorum atque iustus, suae vero gentis meritorum, severus et aequus iudex, cum alibi passim Patris (I. I. SCHULT.) memoriam celebravit, tum etiam in Programmate, quo consilium Meidanii edendi descripsit, L. B. a. d. 29 Martii 1791 evulgato. »Per »curarum," ibi inquit H. A. SCHULT., »multitudinem, aliarumque rerum, praesertim theologica- »carum occupationes, famam non potuit libris scribendis posteritati commendare, ingenio tamen »et multiplici eruditione praestitit inter suos, in Arabicorum autem librorum lectione paternam »diligentiam non tantum aequavit, sed longe multumque superavit." De I. I. SCHULT. conf. denique SIEGENB. l. l. I, p. 301. II, p. 204 seq. et I. KANTELAAR *lofrede op* H. A. SCHULT. Amst. 1794. 8°. p. 70, 73—76.

HENRICI ALBERTI SCHULTENSII merita insignia celebrarunt praeter Cl. PALMIUM, saepius de Praeceptore dilectissimo egregie et facunde, ut solet, dicentem, cum DAN. WYTTENBACH. in *Vita* D. RUHNKENII (D. WYTTENB. *Opuscula varii argum.* L. B. 1821, I, p. 718—720), tum etiam deditâ operâ atque uberius KANTELAAR et RINKIUS in libris modo laudatis. — Erat ille, ut ibidem describitur, Vir sane magnus, Philologus praeclarus, disertus Orator, verus Philosophus, plurimisque, quae naturam humanam ornant, virtutibus insignis. Arabum historiam, literariam in primis, summopere diligebat. Quod ut apparet ex Censura eruditissima *Descriptionis Aegypti*, Abulfedae auctore, ab I. D. MICHAELE editae Gott. 1776 (D. WYTTENB. *Bibl. Crit.* I, part. 2. p. 77—112), cui brevem hist. lit. Arabum conspectum praefixit; ita quoque ex nova *Bibl. Orient. Herbelotii* editione (Hag. Comit. 1777. 4°. 4 voll.), REISKII et H. A. SCHULT. notis aucta. Cuius tamen editionis ratio SCHULTENSIO nostro, *cum totius Operis evulgatione nihil quidquam commune habenti*, vehementer displicebat. Hoc enim gestiverat, ut melior in accessionibus, v. c. ad tomum 4um congerendis, institutus esset delectus, utque *annotationes, quas editores Anthologiae Persicae in praefatione monuerunt, a Gallando scriptas, in Bibl. Caesarea servari*, quod in epist. ad HOEKIUM, Prof. olim Vindob., ipse testatur (vid. KANTELAAR l. l. p. 87 seq.), huic editioni ornandae adhibitae essent. Nota sunt praeterea, quae H. A. SCHULT. ex Literis Arabicis edidit. Commodam si nactus fuisset opportunitatem, *integram* quoque *Haririi Consessuum* editionem cum latina,

quam Avus *totam* absolverat, versione et selectis Grammaticorum Arabum ac *suis* observationibus, illis addidisset (KANTEL. l. l. p. 91 seq.). — RINKIO suo, anno 1789 et sequenti L. B. commoranti, auctor porro extitit, ut *Makrizium* ederet. Quod consilium quo melius ipsi cederet, subsidiis quam plurimis suoque auxilio eum iuvit (RINK. l. l. p. 33). Quo facto ille *Regum Islam. in Abyssinia historiam* edidit L. B. 1790 4°, de qua vid. SCHNURRER. *Bibl. Arab.* p. 155. Argumentum denique, quod SCHULT. in Orat. tractavit *de ingenio Arabum* L. B. 1788, postea uberius ipse sibi exponendum proposuerat. (RINK. l. l. p. 43).

Tantum autem abest, ut Arabicis *solis* colendis inclaruerit, ut, quamvis non adeo *Scriptis edendis*, sed *praeclara* eo magis *instituendi ratione*, de Literis *Hebraicis* in Patria nostra tractandis optime meritus sit. Hac enim ut apud nonnullos Iuvenes Academicos *Arabicarum*, ita apud plurimos *Hebraicarum* incredibilem amorem excitavit simul atque aluit. Erat instituendi illa ratio digna discplinae itemque venustissima, tamque efficax, ut, quae Avus egregie quidem docuerat, quaeque a Patre illibata, aut plenius potius pertractata, acceperat, quae vero ex Scholae umbra vix prodierant, in locum multo ampliorem educeret et in communem Nostratium usum magis magisque converteret. Nonnulla etiam, in ALB. SCHULT. libris obvia, et revera improbanda, emendavit. Alienus erat a *nimio* illo *Etymologiae persequendae* amore, et *quaesita*, quae cum eo vulgo coniuncta erat, *vertendi ratione*. Ipsam porro *Interpretationem* multo praestantiorem tradidit. In omnium V. T. Scriptorum, *Poëtarum* maxime, cogitandi scribendi dicendique rationem interius inquirere in primis amabat. Quos quo illustraret consummatius, ac V. T. Interpretes Orientalium sensu penitus imbueret, Arabicarum Literarum studio egregie usus est. Quod ipsi adeo cessit, ut non Eruditis tantum, sed omnibus omnino pulchri amantibus carminum Hebraicorum iniiceretur admiratio. Huius interpretandi methodi, quam vere *poeticam* dicas, sive *aestheticam*, H. A. SCHULTENS. primus in Patriâ nostrâ firma fundamenta posuit; hanc vero suis ipsi Scriptis, iisque haud paucis, deinceps commendarunt tum alii, tum maximopere Cl. PALMIUS. Illius autem in eo genere unum modo habemus specimen, Commentarium in 28 priora Iobi capita, edita ab H. MUNTINGHIO (*Het boek van Job*, Amst. 1794, 8°), qui reliqua ad finem usque ipse conscripsit.

His H. A. SCHULTENSII laudibus addantur denique eiusdem in *Criticam V. T.* et *Antiquitatem Hebraeorum* merita. Hanc, ut alii eius Aequales, Rabbinorum commentis omissis, docebat concinne, perspicue, philosophe; eiusque expositio, eo interprete, omnibus quarumvis Artium Disciplinarumque Studiosis gratissima erat et optatissima (KANTEL. l. l. p. 34). Prudentem usum Criticae S. strenue vindicabat cum a plerorumque praeiudicatis opinionibus, illam pertinaciter damnantium, tum a nonnullorum eâ indigne abutentium petulantia. Qua in re quam praestantia eius fuerint praecepta, KANTELAAR exposuit (l. l. p. 29–33), additisque ipsius SCHULTENSII monitis, quae in eiusdem epistolis exstant, illustravit (p. 82—87). Alia, quae idem confirmant, documenta reperiuntur in *Bibl. Crit.* (ubi etiam WYTTENB. ipse III, part. 1,

p. VI, et Vol. III, part. 3, p. 138, de SCHULT. laboribus, qui hoc Opere continentur, loquitur). Censuram volo SCHULT. Operis KENNICOTTIANI (*V. T. cum variis lectt.* Oxon. 1776) in Vol. I, part. 1, p. 79—115; ac relationes breviores de GLASSII *Philol. Sacr. ex ed. Dathii* Lips. 1776, de IOA FRED. SCHULZII *Lexico* et *Commentario sermonis Hebr. et Chald.* 2 Voll. Lips. 1777, et de I. VOORSTII *diss. de notabili correctionum Masorethicarum genere* L. B. 1778, in Vol. I, part. 3, p. 121—131. Quibus postremo addatur Programma, quo Opus ROSSIANUM (*Variae lectt. V. T.*) Nostratibus descripsit, eosque, ut hoc sibi compararent, invitavit L. B. 1782.

Critica tamen Sacra permulta iam debebat ALBERTO SCHULTENSIO. Hic enim, postquam ridiculam de linguae Hebr. sanctitate opinionem profligaverat, unico quidem consilio, ut Grammaticam Hebr. emendaret, causam praecipuam simul sustulit, quae plurimos a Criticae usu cohibebat. Neque ille etiam ab hac ipse instituenda plane alienus fuit. Quod et conspicuum est e Codicis Hebr. V. T. exemplo, quo utebatur, et vero ex loco *Comm.* ipsius *in Iobum* II, p. 778. Vid. H. A. SCHULT. epist. fragmentum ap. KANTEL. l. l. p. 82—84.

Alii quoque SCHULTENSIORUM ex Nostratibus aequales laudabilem in Critica V. T. operam posuerunt. Nota sunt nomina BOSII (*V. T. ex vers. LXX Interpret.* Franeq. 1719 4to), MILLII (*V. T. ex versione LXX Interpret. sec. ed. Vatic. cum variis lectt. e Codd. Leid.* Trai. 1725, 2 Voll. 8o), SEGAARII (*Daniel sec. LXX cum not.* Trai. 1775 8o). Suo etiam pretio habenda sunt, quae ad Criticam bene instituendam monuerunt F. TSEPREGI et D. MISTINGH, ille A. SCHULTENSII, hic N. G. SCHROEDERI Discipulus, in Diss. *de Authentia quorumdam Cethibim*, quarum prior Franeq. 1725, altera Gron. 1757 prodiit (cf. *Sylloge Diss. def. sub* SCHULT. *et* SCHROED.) Nec contemnenda sunt, quae multi scripserunt ad effrenatam textus Hebr. emendandi libidinem coercendam. Hanc ex linguae Hebr. *ignorantia* saepe oriri, et saepius ostenderunt H. A. SCHULT. eiusque Pater in Diss. supra laud., et vero etiam, qui in hac item Disciplina Vir erat Consularis, N. G. SCHROEDER., et in Scriptis passim, et in Oratione (etiam subiuncta Opusculis *de ratione studii*, tom. III, a SCHEIDIO editis) *de causis Criticae, quae in Sacro V. T. Codice exercetur, contemtae ante hac et neglectae, nunc autem in pretio habitae, diligenterque excultae.* Gron. 1787. REISKII igitur *Coniecturae* (in *Iobum et Prov. Salom.* Lips. 1779 8o) et HOUBIGANTII ac KENNICOTTI emendationes plerisque non admodum placebant, minime V. C. SEB. RAVIO (*Exercit. philol. ad* HOUBIGANTII *Prolegomena* Trai. 1785 4to). Qui tamen, ut H. VENEMA, I. H. VERSCHUIRIUS, I. SCHEIDIUS, I. VOORSTIUS, (cum in Diss. supra laud., tum in aliis eius Scriptis), E. I. GREVIUS (vid. H. MUNTINGHII *Brevis expositio Critices V. F.* Gron. 1817, p. 13 et 16), non minus quam deinceps H. MUNTINGHIUS, I. H. PARAVIUS, aliique nostra aetate Viri praeclari, prudentis Criticae usus strenui Vindices olim fuerunt atque esse haud desinunt. Ex Scriptis seculo superiore hac in causa editis cf. G. B. REDDINGII, VERSCHUIRII Discipuli, *Observv. philol. Crit. de Psalmis bis editis* Franeq. 1795, 8o: et VINEMAM quod attinet, exemplum Cod.

Hebr. V. T., quo is quotidie uti solebat. Hocce enim exemplum (ex. rec. I. LEUSDENI Amst. 1667 8°), cuius mentionem fecerunt I. H. VERSCHUIR (in *Elogio* HERM. VENEMAE Franeq. 1788 8°, p. 39), et I. A. LOTZE (in praef. I. H. VERSCHUIRII *Opusculorum*, ab eo post huius mortem edd. Trai. 1810, 8° p. XLVII), hodie iterum, per aliquod temporis spatium quippe deperditum, postea vero Amstelodami repertum et coemtum, in Bibl. Franeq. servatur. Exhibet illud per omnes libros et VENEMAE, et interdum, quae tamen ab his apte distinguuntur, P. CONRADII, Theol. olim in Acad. Franeq. Prof., emendationes, margini adscriptas, haud raro egregias, ex sollerti Veterum Versionum, praecipue Graecae Alexandrinae, usu, et ex simili literarum figura aliâve vocabulorum divisione maximam partem exortas. — Uti autem KENNICOTTUS, ROSSIUS aliique de Codd. Hebr. describendis bene meriti sunt, ita quoque ex Nostratibus N. BARKEY in *Codd. duorum bibl. MSS. Hebr. et Americani rarioris, typis impressi, notatione* (*Bibl. Brem. Nov.* II), ZACHARIA et I. WILLEMSEN, etiam de Cod. illo Americ. exponentes (*Symb. litt. Hag.* II), et A. F. RUCKERSFELDER, *Codice Daventr.* descripto, et, huic descriptioni subiunctis, *Observationibus de Diss.* KENNIC. *priore* (*Sylloge Comm. et Observv. phil. exeg. et crit.* Trai. 1762 8° p. 207—423). cf. WILLMET. *Schets* l. l. p. 207—209.

P. 9. lin. 24 *tum alios etiam — merita insignia.* Quinam seculo superiore et *Grammaticae* et *Lexicographiae* post A. SCHULTENSIUM operam dederint, enumeravit I. WILLMET (*Schets* l. l. p. 155 seqq.), plerorumque merita paucis adumbrans. Nonnulla etiam commemoravit Opera, quorum pars modo in lucem prodiit, quaeque propterea, ut alia etiam, alias ob causas, ad Exterorum notitiam vix pervenerunt. In his multa, quae E. SCHEIDIUS conscripsit. *Primae*, v. c., *lineae Institutionum ad fundamenta dialecti Arabicae.* Harderov. 1779, 4to, et *Elementa Hebraica*, quorum 72 paginae ibidem typis quidem expressae sunt, numquam vero editae.

De NIC. GUL. SCHROEDERO egregie monuit praeter Cl. ROORDAM *Gramm. Hebr.* in praef. p. VIII, H. A. SCHULT. in Orat., qua munus suum L. B. 1779 auspicatus est, *de studio Belgarum in Literis Arabicis excolendis*, WILLMET in Orat. *de retinenda antiqua Batavorum in Litt. O. O. gloria.* Amst. 1805, p. 15 et 41 seqq. In primis vero H. MUNTINGHIUS in Orat. *in Natalem ducentesimum Acad. Gron.* (*in Actis Secularibus Gron.* 1814), p. 55 et in annot. p. 122—128. »Simplicitas," inquit p. 125 seq., »bonae interpretationis nota, universas eius Codicis Sacri, etiam difficillimorum locorum, expositiones commendabat eximie. »In locis V. F., vel emendandis, vel ab importuna aliorum crisi vindicandis, acerrimam iudicii vim cum singulari prudentia ac modestia ita coniungebat, ut, si quis alius, perfecti »Critici titulo et honore fuerit dignissimus. Similis eius fuit in dialectis O. O. ceteris docendis, et cum dialecto Hebraea conferendis dexteritas." — Haec quam vera sint, quisque novit, qui Commentarios eius in Pent., 1 Sam., Psalmos, omnesque Prophetarum libros legerit, ineditos quidem, at anno 1834 ex venditione *alterius partis Bibl. Schroederianae*,

quae eo anno Groningae obtinuit, coemtos, ut ferunt, Bibliothecae Acad. Gron. Ex Catalogo, tunc evulgato, qui et *libris* constat *editis*, multiplici SCHROEDERI annotatione instructis, et *Codd.* praesertim MSS. O. O., maximam partem ipsius manu descriptis eiusque observationibus ornatis, summa in primis eiusdem elucet in *Arabicis*, *Persicis* et *Turcicis* Literis excolendis industria. In libris illis editis recensetur v. c. praeter GOLII et COCCEII Lexicon et Biblia Hebraica (N. 1, 2 et 101), *Historia Saracenica ex ed. Erp.* L. B. 1625 (N. 3); *Coranus* HINCKELM. (N. 102) cum *lat.* SCHR. *versione; Vita Timuri* L. B. 1636 (N. 103); *Taraphae Moallaka.* L. B. 1742 (N. 106) et *Enchiridion Studiosi* Trai. 1709 (N. 108); omnes multis SCHR. notis referti. In Codd. vero MSS. illis enumerantur cum alii, tum *Hamasa integra descripta et notis illustrata cum eius carminum, quae a* SCHULT. *non sunt edita, latina versione* (N. 4 et 64); *Haririi Consessus* item descripti *omnes, cum* SCHR. *Observationibus*, (N. 65 et 75); *Ibn Doreidi Poëma, latine versa cum* SCHR. *notis* (N. 66 et 76); *Commentarii* denique, ut operam eius, Persicis et Turcicis impensam h. l. brevitatis causa omittamus, *Rhetorici et Grammatici dictionum, Linguis O. O. propriarum*, 400 pp. (N. 67).

SAM. HENR. MANGER., VRIEMOETI in *Litt. O. O.* Successor, ab anno 1760 *has Literas* per quadriennium, deinde *Theologiam*, atque ab anno 1781 cum hac disciplina *Historiam* quoque *Eccl.* Franequerae docuit ad annum 1787, quo cum VERSCHUIRIO munere se abdicavit; anno autem 1789 mortuus est. Edidit *Comment. in Hoseam* 1782 4° et *Vitam Timuri* (*Ahmedis Arabsiadis Vitae et rerum gestarum Timuri — Hist.* 2 tom. Franeq. 1767 4°), de qua exposuit SCHNURRER. *Bibl. Arab.* p. 135 seq. Editae sunt praeterea duae eiusdem Orationes Inaugurales (in *Sylloge Diss. def. sub* ALB. et I. I. SCHULT. et N. G. SCHROED. tom. II, p. 1115—1149): altera, anno 1760 habita, *de incremento Philologiae Sacrae ab idonea Arabiae atque Palaestinae exploratione speranda;* altera pronunciata, quum Litt. O. O. cum Theologiae provincia permutâsset, *de fatis Christianae religionis apud Arabas.*

IOA. HENR. VERSCHUIR, Litt. O. O. Franequerae ab anno 1764—1787 docens, conscripsit *Dissert. Philol. Exeget.* Leov. et Franeq. 1773 4°, aliaque *Opuscula*, quorum fasciculum post mortem (quae incidit in annum 1803, postquam ab anno 1787 otium ipsi obtigerat literatum) edidit I. A. LOTZE (Trai. 1810 8°), qui de VERSCHUIRII vita, moribus, doctrina et studiis in praefatione uberrime disseruit, ac postea quoque edidit EGB. IOA. GREVII *Laudationem* L. B. 1815 8°.

De SEBALDO RAVIO vid. Cl. I. HERINGAE EL. fil. Oratio *de Auditorio Acad. Rheno-Trai.* Trai. 1826, p. 149 et 205, et GESEN. *Gesch.* p. 129.

P. 9. lin. 31. *Ex permultis — perficienda supererant.* Vid. Cl. ROORDA l. l. in praef. p. VII seq.

P. 10. lin. 10. *Grammatici Germanorum.* Scripta intelligo v. c. CHRIST. BENED. MICHAE-

LIS, STORRII, HEZELII, VATERI (vid. GESEN. l. l. p. 130 seq.), quae cum alii, tum IOH. VOORSTIUS et H. MUNTINGHIUS diligenter in suos usus converterunt.

P. 10. lin. 21. WILLMETUS, MUNTINGHIUS, PARAVIUS. — IOH. WILLMET natus Amstelodami 13 Nov. 1750, ibidem obiit 20 Oct. 1835. Vir erat summae eruditionis, acuti iudicii, memoriae tenacis, Artiumque non minus quam Disciplinarum, O. O. in primis, acer vindex. Aliquamdiu Sacri Oratoris munere functus, Literas O. O. primum docuit Harderovici, ubi SCHEIDIO anno 1794 successit, Oratione habite *de sensu pulchro Arabum*. Alteram ibidem Orationem habuit, biennio post Academiae Rectoris munere deposito, *de ingenio Hebraeorum, ad poësin imprimis composito*. Tertiam, anno 1804 in Athenaeum Amstelodamense delatus, WALRAVENO mortuo, *de retinenda antiqua Batavorum in Litt. O. O. gloria*. Quartam denique, anno 1807 Historiae O., cum civilis tum literariae, provinciam ibidem capessens, *de Arabum meritis in Litt. Medio Aevo illustrandis*. Ex his uti patet fervidus eius in has Literas amor, ita quoque, ne alias commemorem scriptiones, vernaculo sermone editas, ex *Lexico in Coranum*, *Haririum et Vitam Timuri* Rott. 1784 4°, ex *Comm. de Vita Labidi*, inserta *Operibus Lat. cl. 3ae Inst. Reg. Belg.* I et ex *Observationibus*, additis *Antarae Poemati Arabico*, quod cum *integris Zouzenii scholiis* edidit eius Discipulus V. E. MENIL L. B. 1816. Discipulos enim eum aliosque habuit Viros laude conspicuos, et vero HAMAKERUM, Praeceptoris merita digne celebrantem in praef. *Lectt. Philostr.* L. B. 1816, p. VII seq. Invalescente senectute, anno 1828 otium nacto, WILLMETO adiunctus est Cl. ROORDA, in Orat. *de Poëtriis Hebraeis* laudes huic debitas pro oblata opportunitate commemorans (p. 39 seq.). Plerarumque Eruditarum in Patria Socius, anno 1822 socius etiam creatus est Societatis Asiat. Paris. Splendidam 250 circiter MSS. O. O. collectionem reliquit, Codicibus constantem Syr. Pers. Turcic. Malaic. aliisque, in primis Arab., in quibus nonnulli summi pretii reperiuntur. Haec nuperrime, ut ferunt, a Rege coëmta, Instituto Regio Belgico oblata est. Ipse autem WILLMETUS Institutum omnibus quoque iis donavit *libris O. O. typis expressis*, quos annotatione instruxerat. Catalogus eorum, quibus Bibliotheca Instituti praecedente anno iam ditata est, exhibetur in *Proces-verbaal v. d. 29. Algem. vergad. v. h. Kon. Nederl. Inst.* (29 Aug. 1836) p. 35—39. In his v. c. praeter *Coranum* et *Arabica* GOLII ipsiusque WILLMETI *Lexica*, atque eiusdem *Orationes*, pleraque enumerantur Opera, in Patriâ nostrâ maximam partem olim edita. Exemplum insuper FLAVII IOSEPHI cum charta intermed., in qua H. RELANDUS Codicum MSS. collationem, annotationem et emendationes adscripsit. Breviter de WILLMETO relatum est in *Algem. Konst en Letterbode* 1835, N. 48, p. 307 seq., et in *Proces-verbaal* (supra laud.) p. 14—16, ubi etiam aliarum Dissertationum fit mentio, quas WILLMETUS Instituti Sociis praelegit *de Sonnae historia, argumento, auctoritate, et pretio; de Arabum, Mohammedis in primis et Mamuni de Disciplinis meritis; de mercaturae Arabicae historia* cet.

De HERM. MUNTINGHIO vid. *Algem. Konst en Letterbode* 1824, N. 19, p. 289—291 et

Cl. R. VAN EERDE in Orat. *de Europa, Imperiorum iure temperatorum altrice*, anno 1824, cum Mag. Acad. deponeret, habita; p. 17—22. (*Ann. Acad. Gron.* 1823—1824). Germanus erat NIC. GUL. SCHROEDERI Discipulus, camdemque, quam H. A. SCHULT. hîc condidit, V.T. interpretandi rationem tuitus est egregie. Notissima sunt eius hoc in genere Opera; *Psalmorum* cuius altera prodiit editio, et *Proverbiorum* Versio vernacula, Commentario instructa. Ex quibus, uti ex reliquis Scriptis studium eius, in reliquis quoque dialectis Semiticis positum, elucet. Quam ob causam non miramur, L. L. O. O. in Acad. L. B. docendarum provinciam ipsi anno 1795 oblatam fuisse, quam tamen cum Theologiae professione haud permutare malebat.

De IOH. HENR. PARAVIO egerunt Cl. I. HERINGA EL. fil. (*Archief voor de Kerk. Gesch.* tom. IV) et Cl. A. SIMONS in Or. *de imitatione Naturae, in omni arte sedulo adhibenda*, dicta publice anno 1833, cum Mag. Acad. deponeret, p. 48—50 et in append., huic Or. add. (*Ann. Acad. Trai.* 1832—1833).

P. 11. lin. 15. *Oratio declarat.* Haec Oratio, habita anno 1817, exstat in *Ann. L. B.* 1817—1818.

P. 11. lin. 20. *Intra biennium edidit Specimen Catalogi.* Hocce Opus ut recte diiudicetur, haec animadvertenda sunt. HAMAKERUS, ut in praef. p. III ipse testatur, non acquievit in legendis Codd. *inscriptionibus*, quae si adsint, (interdum enim plane desiderantur), saepe falsae sunt aut mutilae: verum hoc egit, ut Operis cuiusque *verum titulum* indagaret; deinde, ut horum *argumentum*, *formam*, *rationem* depingeret, quam ob causam *praefationes integras* et ipsos interdum *libros* pervolutavit; porro ut *Auctorum vitas* conscriberet, quo melius de eorum scribendi et cogitandi ratione ac fide, iis tribuenda, constaret. Has vitas, numero 16, ex ineditis libris petiit, ad easque illustrandas maiora Veterum Arabum Opera, Recentiorumque Scripta consuluit. In *annotatione* praeterea nihil intactum reliquit, quod faciat ad Criticam bene instituendam, et Grammaticam, Geographiam, Historiam civilem et literariam explicandam. *Codicum* denique *forma externa* accurate breviterque describitur, et ex libris ipsis ea excerpuntur, addita interpretatione, quae internam librorum rationem adumbreat. Ita describuntur Codices 21, secundum ordinem Chronologicum. *Horum* Codd. descriptionem *Speciminis* instar edidit, quia *omnium*, hac ratione instituta, tractatio nimis temporis requisivisset. Refert hocce consilium revera audacem HAMAKERI animum, opus suscipientis tanti ambitus, ut pro arctis, quibus vita humana circumscribatur, finibus, pari modo ab uno homine ad finem vix perduci posset. HAMAKERO vero illud, sine intermissione continuatum, intra 4 vel 5 lustra absolvi posse videbatur. Vid. praef. p. VII. Iudicium illustris SACYI de hoc HAMAKERI Opere exstat in *Journal des Savans* 1821, p. 346—356,

P. 11. lin. 24. CLARISSIUM. — THEODORUS ADRIANUS CLARISSE, Vir Cl., sibi elaborandum sumserat *Abdolwahedi historiam Dynastiae Mauretanicae Almohadensium*, cui praefigitur introductio, lectu dignissima, res Hispaniae illustrans. Codicem intelligo Bibl. L. B. N. 546.

Passim Opus illud laudatur a Cl. H. E. WEYERS in notis ad *Diss. exhibentem locos ibn Khacanis de ibn Zeidouno.* De CLARISSIO nostro egerunt tum alii, tum Cl. S. BROUWER in Or. *de iis, quae anno proxime elapso Acad. Nostrae acciderunt*, dicta publice, cum anno 1828 Mag. Acad. deponeret, p. 27—32 (*Ann. Acad. Gron.* 1827—1828). In primis vero conf. *Patris Epistola* ad Viros Clarr. N. C. KIST et H. I. ROYAARDS (in *Archief voor Kerk. Geschied.* I, p. 337 seqq.), ubi alius etiam Codicis fit mentio, in quo elaborando ille multos quoque annos consumsit; Operis nempe *Abu Schamae. de vita et rebus gestis Noureddini et Saladini* (p. 342). Praeterea ibidem commemoratur Studium, ab ipso postremis vitae annis ad *Persicas, Copticas, Sanscriticasque* Literas magno cum ardore collatum. His vero licet permultum temporis impenderet, *Graecas* tamen *Latinasque Literas*, atque *Historiam, Ecclesiasticam* praesertim, et *Criticam V. T.* ita colebat, ut, has Disciplinas, praeclarâ Instituendi ratione ipsius Discipulis maximopere iam commendatas, si illis diutius operam dare potuisset, Scriptis quoque edendis egregie sine dubio exornasset. Vidd. ibid. p. 346—350.

P, 11. lin. 29. *Locus est* cet. De WAKEDIO, sive, ut ab HAMAKERO nuncupatur, WAKIDAEO, antea iam egerunt OKLEYUS, KÖHLERUS et H. A. SCHULTENS (vid. EWALD. *de expugnatione Mesopotamiae* pag. I, not. 2), verum Scripta, quae hoc nomine feruntur, *spuria* esse, hi nondum suspicati erant. Prudentiores erant REISKIUS et FREYTAGIUS. (ibid. p. VI, not. 1), in hanc tamen quaestionem non interius inquirentes. Primi hoc fecerunt HAMAKERUS et EWALDUS. *Hic* enim, edita ex Cod. Göttingensi, a Lorsbachio e Cod. Fuld. descripto (p. XI), parte *Expugnationis Mesopotamiae* (Gött. 1827 4°) recentiorem *huius* libri aetatem probavit, eiusque nexum cum Libris, *Expugnationem Syriae et Aegypti* enarrantibus, atque probabile ignoti Scriptoris *consilium* indicavit. Scripta autem, WAKEDIO tributa, hodieque nota, recensentur *octo*. Primum, enarrans Exp. Syriae, secundum Exp. Aegypti inferioris, tertium Exp. Iracae, (quae *communi omnium consensu*), quartum Exp. Bahnesae, i. e. Aeg. Sup., quintum Exp. Africae, sextum historiam Selmanis, Islamismum amplexi (quae a *nonnullis* eidem tribuuntur Auctori: vid. HAMAK. in praef. Operis de *Exp. Aeg. Inf.* L. B. 1825), septimum Exp. Mesopot. (primum ab EWALDO descriptum), octavum Exp. Armeniae (cum Exp. Mesopot. et Iracae utriusque in Cod. NIEBUHRII coniunctam), Cypri, Habessiniae et Siciliae. — Codices WAKEDIANOS L. B., quibus novus deinde, ab HUMBERTIO allatus, accessit, HAMAKERUS (ibid.) descripsit, uti etiam Codicem Exp. Iracae, donum FRAEHNII (de quo vid. *Bibl.* HAMAK. *pars*; cuius publica auctio facta est L. B. mense Oct. 1836, p. 109, N. 3), et Cod. WILLMETI. Accuratam Codicum, qui in Anglia, Parisiis, et Petropoli asservantur, notitiam sibi comparavit, NICOLSI, SACYI, et FRAEHNII benevolentiâ. Alia HABICHTIUS cum eo communicaverat, alia ipse ex Catalogis editis petierat. Plura autem a Doctis Viris subsidia petenti (ibid.), satis fecerunt NIEBUHRIUS et MÖLLERUS (vid. Censura Scriptionis EWALDI modo laud. in *Bibl. Crit. Nov.* IV, p. 331 seqq.), quorum hic 3 Codd. GOTHANOS, ille unum, a Patre ex Oriente delatum, nunc Bibliothecae Hauniensis, ipsi miserunt. — *Dissertationis*, quam de Scriptis WAKEDIANIS editurus

esset, argumentum HAMAKERUS ipse adumbravit in praef. Operis laud. p. XII, utque hanc conscriberet, magnum, Codicibus excerptis, apparatum collegerat. Hanc vero Dissertationem desiderantes, gaudemus tamen illi de Scriptis WAKEDIANIS quaestioni, auctoribus HAMAKERO et EWALDO tantum lucis allatum esse, ut apparere videatur: octo illa Scripta immerito tribui antiquo illi WAKEDIO; hoc autem nomen celeberrimum Arabes recentiores, more apud Veteres in Oriente in primis tritissimo, usurpasse, quo maiorem suis Scriptis auctoritatem conciliarent. Deinde illa ab his conscripta esse, ut languescentes Moslemorum animos, rerum, a Maioribus religionis propagandae causa gestarum, enarratione erigerent, incitarent, novoque ardore imbuerent. Quod consilium ut assequerentur, minus eos fuisse sollicitos de historia accurate conscribenda, hoc agentes, ut traditiones in memoriam revocarent, iis de rebus propagatas, ornamentis auctas, ac falsa veris immixta continentes. Narrationes denique *Expugnatae Syriae*, *Aegypti*, *Mesopotamiae*, *Iracae* ab uno eodemque Auctore probabiliter exaratas esse. — De hoc HAMAKERI Opere vid. SACYUS in *Journ. des Sav.* 1827, *Mars*, p. 140 seqq.

P. 12. lin. 12. *Gratissimae — non potuit.* Anno 1821, quo Rex, nostrarum Literarum Fautor eximius, Interpreti Legati WARNERIANI sexcentos nondum concesserat florenos annuos ad Opera Orientalium edenda, HAMAKERUS, suadente Cl. FRAEHNIO, librum *de Regionum Expugnatione* Comitis illius sumtibus edendum suscepit e Cod. L. B. N. 430, de quo vid. HAMAK. in *Specim. Catal.* p. 7 seqq. Dimidiam huius Operis partem HAMAKERUS absolvit, quam a Cl. WEYERS., qui alteram partem ipse postea elaboraturus est, editum iri, laeti cum Doctis Viris communicamus.

P. 12. lin. 11. a f. *Illius — auctam.* Vid. *Journal Asiatique* 1826, tom. IX, p. 317. In *Catalogo partis Bibl.* HAMAK. p. 113, N. 14, commemorantur etiam *Observationes in Meidanii Praefationem et in* 201 *priora eius Proverbia* 42 pagg. oct.

P. 12. lin. 9. a f. *Hic — annunciat.* Partis laboris, in Opere HADJI KHALIFAE collocati, mentio fit ibid p. 113, N. 13. (*Versio latina partis Prolegomenorum* HADJI KHALIFAE *cum aliquot annotationibus in margine* 32 pagg. oct.) — De FLUGELIO vid. huius *Corani* editio Lips. 1834 4° in praef. p. VII.

P. 14. lin. 15. a f. *Commentatio — delineavit.* Vid. *Catalogus* laud. p. 114, N. 28.

P. 14. lin. 6. a f. *Chronicon Bar Hebraei* cet. HAMAKERI Scriptis perlectis, dubitas, sitne ipso Chronico explicando praestantior, an eo Scriptoribus Arabicis et Historiae Orientali illustrandis adhibendo. Cff. modo Annotatio, Operi WAKID. atque *Diss.* Cl. ROORDAE et WEYERSII addita, et Censurae, *Bibl. Crit. Nov.* insertae. Nemo sane HAMAKERO aptior fuit novae *Bar Hebraei* Operis editionis parandae. Quae quoniam propter vitiosissimum textum, a BRUNSIO editum, quam maxime est necessaria, nova, quae, ut fertur, BERNSTEINII, Viri Cl., auspiciis suscipitur, editio, nemini sine dubio non grata esse potest. — De studio ceterum, ab HAMAKERO in Literis Syriacis posito, vid. etiam Censura Scriptionis HIRZELII *de Versione Syriaca*, quae *Peschito* dicitur (*Bibl. Crit. Nov.* III, p. 312 seqq.)

P. 14. lin. 4. a. f. *Apparatus* cet. Conf. descriptio annotationis ab HAMAKERO adscriptae Lexico Syriaco Castelli, a I. D. MICHAELE edito, in Cat. supra laud. p. 117. »Quum HAMAKE-»RUS nullum fortasse librum tam accurate ac toties legerit, quam Bar-Hebraei Chronicon Sy-»riacum, paucique libri tam male editi sint, vel in alias linguas conversi, vix credibile est, »quantum in hac HAMAKERI annotatione praesidii sit ad praestantissimum illum librum aliquando »melius edendum et interpretandum. Omnes eius loci, qui vel grammatica vel geographica diffi-»cultate laborant, hîc indicati sunt, et egregio plerumque modo illustrati; multi facillima con-»iectura, alii per accuratissimam non Syriacae tantum, verum etiam reliquarum Semiticarum »dialectorum cognitionem atque collatos multorum Scriptorum similes locos, vel per intimam »familiaritatem cum Graeco sermone contractam, ex quo notum est, quanta vocabulorum »copia in recentiorum Syrorum linguam transierit; alii denique complures diligentissima inve-»stigatione geographica, adhibitis Graecorum, Arabum ac recentiorum libris de eodem ar-»gumento."

P. 14. lin. 2. a f. *Studium Literarum Samaritanarum.* Ex Nostratibus hocce Studium non intactum reliquerunt H. RELANDUS et E. SCHEIDIUS. Hic conscripsit Diss. a WILLMETO (*Schets* l. l. p. p. 167), commemoratam: cuius titulus est, *Varietas lectionum selectarum ex Pentateucho Samaritano ad Gen.* 1—50; *et comparatio illarum cum variis lectt. a* KENNI-COTTO *prolatis* 4°. — *Chronicon* illud, quod complectitur Codex SCALIGERI, a Samaritanis ad ipsum olim missus, H. RELANDUS sibi edendum sumserat, utens exemplo GOLII, quod, sive a GOLIO, sive eius iussu ex illo erat descriptum, quodque GOLIUS passim notis in margine additis explicuerat, passim etiam emendaverat. Vid. RELAND. diss. *de Samaritanis*, inserta *Diss. Misc.* II, p. 16. Opus vero illud RELANDI non editum est. Nonnulli tantum loci et pericopae Diss. laud. sunt inserta. De GOLIO vid. *Cat. librorum MSS.* I. GOLII L. B. 1695 4°, ubi inter *Miscellanea incompacta* (p. 24, N. 6) illud exemplum recensetur. RELANDI Opus primum in Bibl. Vat. delatum, deinde translatum in Bibl. Paris., nunc iterum servatur in Bibl. Vat. De Bibl. Paris. vid. *Recensio MSS. Codd., qui ex universa Bibl. Vat. Procuratoribus Gallorum iure belli, sive pactarum induciarum ergo, et initae pacis, traditi fuerunt.* Lips. 1803 8°, p. 24, N. 102. Conf. I. WILLMET *Schets* l. l. p. 165—168. De Bibl. Vat. vid. *Scriptorum Veterum Nova Collectio, e Vat. Codd. edit.* ab Ang. Maio Rom. 1831 4°, cui inest Codd. Arabb. Catalogus, p. 441, N. 278 haec commemorans: »Cod. in 4° Chart. fol. 66. Arabicis literis et sermone exaratus, inter Codd. O. O., ex hae-»reditate HADRIANI RELANDI comparatos, olim octavus; quo continetur: Chronicon Samarita-»num, alias liber Iosue nuncupatum, ab exitu filiorum Israëlis ex Aegypto ad HADRIANI Impe-»ratoris tempora deductum, e SCALIGERI Codice Acad. Leid., literis Samaritanis exarato, ab »HADRIANO RELANDO Arabicis characteribus et sermone descriptum, qui et varias ad margi-»nem annotationes et emendationes adscripsit, et correctiones apposuit et iudicia virorum eru-»ditorum IOSEPHI SCALIGERI, SAM. BOCHARTI, IOH. MORINI, NIC. PEIRESCII, CONST. L'EMPE-

» REUR, LUD. CAPPELLI, CHRIST. CELLARII, IOH. HENR. HOTTINGERI, D. HERBELOTII et BRIAN. » WALTONI, de eodem Chronico initio praefixit. Titulus et initium fol. 7. h. e.: *in nomine » Dei Misericordis. Hic liber complectitur historiam filiorum Israëlis a tempore, quo Do- » minus noster Mozes, filius Amram, Propheta, quocum pax, Iosue filio Nun imperium » in populum suum tradidit. Omnia ex Hebr. lingua in Arabicam conversa sunt* cet. In » eius clausula fol. 66 haec legitur annotatio: *laus Deo. Explicit liber, vulgo nuncupa- » tus liber Iosue.*" — HAMAKERI animadversiones ad epistolas Samaritanorum, iam editas, commemorantur in Catal. laud. p. 113, N. 18. Epistola, quam ipse cum suis Observationibus edidit anno 1834, exstat in *Archief voor Kerk. Geschied.* tom. V.

P. 15. lin. 11. a f. *Etenim* cet. Studiis Phoeniciis seculo superiore ex Nostratibus operam iam navaverat, ne dicam de STEPH. MORINO (*Exercitt. de lingua Primaeva* Amst. 1694, 4°), mortuo anno 1710, RHENFERDUS. Hic edidit *Periculum Phoenicium*, receptum in *Opp. Philol.* Trai. 1722, in quibus exstat etiam *Periculum Palmyrenum*, in quo inscriptiones Palmyrenas explicare tentavit. Praeterea C. DE BRUIN, peregrinator ille notissimus, suis sumtibus edidit *Aanmerkingen ov. de Printverbeelding v. d. overblijfselen v. h. oude Persepolis*, Amst. 1714, 8°; vid. I. WILLMET. *Schets*, l. l. p. 178 seq.

P. 16. lin. 3. a f. *nobisque superesse* GESENIUM. Opusculo illo (*Palaeographische Studien über Phönizische und Punische Schrift*, Lips. 1835, 4°) summa cum voluptate perlecto, GESENIO et gratulamur Alphabeti *Numidici* inventionem, et gratias agimus pro nonnullarum HAMAKERI in rebus Phoeniciis Punicisque interpretationum emendatione, quam ibid. et alibi nuper tradidit. Postquam enim de progressibus, quos Studia Phoenicia per hosce 7 – 8 annos fecerant, exposuerat in *Allgem. Hall. Lit. Zeit.* 1835, N. 134—137, hocce argumentum tractare perrexit ibid. A. H. L. Z. 1836, N. 98—101. — Operis GESENIANI mox edendi Auctor ipse (*Palaeogr. Stud.* praef. p. VI) mentionem fecit, hunc titulum commemorans: *Marmora Phoenicia et Punica, quotquot supersunt* cet. Nuper autem ex *Algem. Konst en Letterbode* 1837, N. 2—4 certior redditus sum, partem Operis typis iam expressam esse, eiusque titulum fore: *Scripturae Linguaeque Phoeniciae monumenta, quotquot supersunt, edita et inedita ad autographorum optimorumque apographorum fidem edidit, additisque de Scriptura et Lingua Phoenicum commentariis illustravit* GUIL. GESENIUS. Accedunt 38 tabulae lithograptae. Lipsiae sumtibus typisque FRID. CHRIST. GUIL. VOGELII 40 plagg. in 4° mai. — Ibidem de huius Operis argumento exponitur, praecipuorumque de Phoenicum Linguâ Operum Catalogus huic expositioni adiicitur. Inter haec autem ipsius quoque GESENII Disputatio exstat *de Inscriptione Punica Libyca* cum duabus tabulis, quae inest Programmati Pentecostali Lips. 1836, 4°. Haec vero explicationem exhibet *eius* inscriptionis BORGIANAE *partis*, quae nullum huc usque interpretem nactus fuerat. — De opera, ab HAMAKERO in Inscriptionibus Phoeniciis explicandis posita vid. etiam Cat. laud. p. 113, N. 17.

P. 17. lin. 10. a f. CLERICUS. Vid. SAM. CLERICI *Scientia Metrica s. Rhythmica, s. tra-*

ctatus de Prosodia Arabica. Oxon. 1661 8°; qui libellus vulgo subiungitur Carmini *Tograi* ex ed. POCOCKII. Oxon. 1661, 8°.

P. 17. lin. 6. a f. GUL. IONESIUS. Vidd. huius *Commentariorum Poëseos Asiaticae libri* 6, Lond. 1774, 8°, ab EICHHORNIO iterum editi, Lips. 1777, 8°.

P. 17. lin. 4. a. f. FREYTAGIO *et* SACYO. — Ille in *Darstellung der Arab. verskunst*, Bonn 1830, 8°. SACYUS in tractatu, quem addidit alteri editioni *Gramm. Arab.* Paris. 1831, 8°, in Vol. II, p. 615—661.

P. 17. lin. 3. a f. EWALDO. Conf. Libellus *de Metris Carminum Arabic.* Brunsvic. 1825 8°, et *Gramm. Arab.* II, Gött. 1833, § 777—819. — Quod GUL. IONESIUS postea inchoavit publice, iam ante eum suscepisse videtur GOLIUS, libro *de Prosodia Arabum* conscripto, in quo horum rationes ad Veterum Prosodiam exigere conatus est. Liber hicce MS. in Anglia latet, in *quanam* vero Bibl. ignoro. Vid. WILLMET *Schets*, l. l. p. 179.

P. 18. lin. 16. *praesertim proximo seculo.* Quid Nostrates eo tempore praestiterint in *Poëtis* et *Scholiastis* edendis, exposuit WILLMET l. l. p. 179 seqq.

P. 18. lin. 9. a f. *Itaque* HAMAKERUS cet. Vidd. quae HAMAKERUS de Indorum Graecorumque Grammaticis, linguam e sua tantum lingua explicantibus, cognatasque ignorantibus, dixit in *Akademische Voorlezingen* L. B. 1835 8°, p. 104, 126 seq. — Conf. etiam de hoc argumento, Arabes quod attinet, Censura primi fasciculi Operis HAMASAE, a FREYTAGIO editi cum TEBRIZII scholiis, in *Bibl. Crit. Nov.* III. (L. B. 1827), p. 288 seqq.

P. 19. lin. 6. *ut vere* HAMAKERUS *observavit.* vid. *Bibl. Crit. Nov.* III, p. 288 seq.

P. 19. lin. 10. *Huic aevo* cet. Opera, Historiam O. illustrantia, quae superiore seculo in Patria nostra publici iuris facta sunt, enumeravit WILLM. l. l. p. 173 seqq.

P. 19. lin. 23. *commendavit.* V. c. in *Spec. Cat.* Praef. p. II seqq.

P. 20. lin. 3. *Iacturae — vocatis:* Conff. praeter HAMAKERI annotationem, subiectam Doct. G. DEDEL Commentationi, *Historiam criticam Bibl. Alexandrinae* exhibenti (*Ann. L. B.* 1823—1824), in qua exornanda multum se HAMAKERO debere Auctor in Praef. ipse testatur; — annotatio, addita Cl. T. ROORDAE *Specimini*, *vitam Amedis Tulonidis* in eo enarrantis, L. B. 1825 4°. In primis HAMAK. Comment. exhibens *Takyoddini Ahmedis Al-Makrizii narrationem de expeditionibus, a Graecis Francisque adversus Dimyatham ab anno C.* 708—1221 *susceptis;* quae inserta est *Operibus Latinis Inst. Reg. Belg. cl.* 3. tomo III, Amst. 1824 4°. — Duae denique Censurae hic citandae sunt. Prior agit de *Annalibus Islamismi*, a Lasseno Rasmusseno editis (*Bibl. Crit. Nov.* II, 1826, p. 155 seqq., ubi conff. praecipue p. 163 seqq.), Altera de primo Vol. Operis HAMMERI (*Geschichte des Osm. reiches* tom. I Pest. 1827), quae exstat in *Bibl. Crit. Nov.* IV, 1828, p. 293—331. Qua perlecta, HAMMERUS suas de HAMAKERI iudicio observationes edidit in *Nouv. Journ. Asiat.* 1829, mensis Aprilis. HAMAK. ipsi respondit, edito libello: *reflexions critiques sur quelques points contestés de l'histoire Orientale* Leide 1829 8°. HAMMERUS hunc libellum etiam non intactum reliquit. Tomo enim decimo Operis modo

laud. (Pest. 1835, p. 649—680) suam ipse sententiam plerumque tuetur: conf. tamen p. 652 seq. et 666.

P. 20. lin. 9. *Bar — Hebraei* cet. De rerum, seculo 9 et 10 per Syriam, Mesopotamiam et Aegyptum gestarum difficultate et obscuritate vid. HAMAK. in *Bibl. Crit. Nov.* I, p. 277 seq. et II, p. 168.

P. 20. lin. 19. *Cui voto — satisfecisset.* Huc respicit HAMAK. in initio et fine Censurae *Ann. Rasm.* (*Bibl. Crit. Nov.* II, p. 155 seq. et 181.

P. 20. lin. 24. *Huius studii — solliciti.* Historiam Arabum literariam superiore seculo in Patria nostra exornarunt praeter ALB. et HENR. ALB. SCHULTENSIUM H. RELANDUS (*Index Codd. MSS.*, qui subiungitur libro de *religione Mohammedica*), et LETTIUS (*Notitia Auctorum Arabicorum*, praemissa eius *Animadvv. Sacr. ad text. Heb. V. T.*) Vid. WILLMET. *Schets* l. l. p. 190. — De huius studii utilitate egit HAMAK. in praef. *Spec. Cat.* p. II; quam ob causam non miramur eius *Bibl. Or. Herbelotii* exemplum, quod in *Catal.* laud. recensetur p. 118, N. 10, quam plurimis annotationibus esse ornatum.

P. 21. lin. 4. *Quaeque Censurae subiiceret.* Conff. Censurae *Ann.* RASM. (*Bibl. Crit. Nov.* II, p. 157 — 163 et 181), — *Ibn Foslanis*, a FRAEHNIO editi (ibid. p. 137 — 140), — *Scriptionis* EWALDI supra laud. (IV, p. 331 seqq.)

P. 21. lin. 7. a f. *Optima* — ALB. SCHULTENSIUS. — GOLIUS in annotatione addita *Moh. fil. Ketiri, qui vulgo Alfraganus dicitur, Elem. Astron.* Arab. et Lat. Amst. 1669, 4°. ALB. SCHULT. cum in Indice Geogr., *Vitae Saladini* (L. B. 1755 fol.) adiecto, tum in Opere maiore, quod, ut Geogr. O. ab antiquissimis inde temporibus illustraret, conscribere instituerat, hoc titulo ei imposito: *Colonia Ioctanidarum, deducta per* S. BOCHARTUM; de quo vid. WILLMETT. *Schets* l. l. p. 170. Specimen eius editum est Hard. 1786, 4°.

P. 22. lin. 6. *Si exempla velitis* cet. Cogito Diss. Cl. UYLENBROEKII *de Ibn Haukalo* (L. B. 1822, 4°.). Omnia se debere HAMAKERI auxilio ingeniique acumini in superandis innumeris difficultatibus, quibus quaestio de Ibn Haukalo, aliisque Geographis, in his KASWINIO praesertim, premitur, UYLENBROEKIUS ingenue ipse fatetur in praef. p. XII, XIV et XIX, ubi *Appendicis*, ab HAMAK. promissae, numquam tamen editae, et quam alter tomus exhibiturus fuisset (vidd. v. c. dicta HAMAKERI in notis p. 125 seq.) mentio fit. — Geographia O. deinde ab HAMAKERO passim illustratur in Censuris, v. c. *Bibl. Crit. Nov.* II, p. 141 seqq., 151—154, 179. et in annot. libri WAKID. de Exp. Aeg. Inf., cui addantur dicta in *Bibl. Crit. Nov.* IV, p. 331 seqq. Libri enim illi WAKEDIANI, quamvis *Historiam* non accurate tradant, attamen in *Geographia* exornanda magnam praestant utilitatem. — In Geographicis autem quaestionibus expediendis HAMAKERUS multum in primis profecit ex Cod. Leid. N. 295, quem *Lexicon Geographicum* appellat. Quicunque Arabum Scripta penitus intelligere velint, eo Opere vix carere queunt. Ex optimis enim fontibus hoc videtur fluxisse, nec alicuius regionis, urbis, montis, fluviique nomen saepe in eo frustra quaeras. Huius Codicis locos, qui de *Iraca Persica*

agunt, UYLENBR. excerpsit, et Arabice Latineque edidit (Diss. laud. p. 62—78 et 81 - 96) ac Libri pretium indicavit (praef. p. XVII). Est, ut docet HAMAK. (in *Spec. Cat.* p. 67 seq.), *Compendium maioris Yakouti Operis*, viginti, ut aiunt, voluminum, cui titulus est *Ordinatio Regionum (Moadjim - ol - boldân)*, cuius tria in Europa exstant exempla, Oxonii, Hauniae, Petropoli. Exemplum Petropolit., 2 voll. constans in fol., hocce Opus integrum exhibere videtur. Epitomator, cuius nomen latet, vivens probabiliter sec. circiter 15 medio, *nimiamque*, ut ipse ait, *et ineptam huius Auctoris in Etymologiis scrutandis, virisque illustribus, qui in singulis locis nati sunt, prolixitatem aegre ferens ac singularem eius in longitudine et latitudine definiendis diligentiam, ea tantum commemorat, quae ad rectam Nominum scriptionem et Locorum situm cognoscendum pertinent. Alia vero de suo addit et illustrat, alia corrigit, quae vel ex diversarum regionum incolis aut peregrinatoribus melius didicerit, aut ipse in itineribus suis, praesertim in Praefectura Bagdadica, observaverit.*

Dictis de Literarum Arabicarum Studio, ab HAMAKERO emendato, alia etiam addere potuissem, in quibus Vir summus multum quoque operae posuit. *Grammaticam* volo et *Lexicographiam. Illius* in nota ad p. 14. lin. 15 a fine Specimen indicavimus; *huius* praeclarum exstat documentum in HAMAK. annotatione, GOLII et in primis WILLMETI Lexicorum exemplis (in Catal. laud. p. 116 seq. commemoratis et descriptis) addita. WILLMETI enim Lexici exemplum insigne revera est monumentum incredibilis fere, quo HAMAKERUS in libris Arabicis editis ineditisque legendis versatus est, ardoris. Scriptorum, quorum locos passim explicuit, nonnulli, in solis primis duabus Alphabeti literis obvii, Speciminis loco ibidem in Cat. enumerantur. Pars exigua tantum huius infinitae eruditionis thesauri in HAMAKERI Scriptis editis innotuit. Quam ob causam laetentur Nostrates, et haec volumina, et alia quam plurima MSS. et magnam librorum, HAMAKERI annotatione instructorum, copiam Bibliothecae L. B. coëmta esse, nullumque fere librum, quem ab Exteris comparari aegre sivissemus, ab his ex Patria delatum esse.

P. 22. lin. 11. HAMAKERUS — *consilio* — *erat.* De eo consilio loquitur HAMAK. in praef. *Spec. Cat.* p. III.

P. 22. lin. 19. *Quae — conferentem* Leg. v. c. *Bibl. Crit. Nov.* III, p. 312.

P. 22. lin. 10. a f. *Hoc consilio — expediendas.* Usus sum ipsis HAMAKERI verbis in praef. *Misc. Phoen.* L. B. 1828, p. VI et seq. Vidd. etiam dicta eius in praef. *Diatribes Phil. Crit. de Monum. aliquot Pun.* L. B. 1822, p. II.

P. 22. lin. 7. a f. *Commentationem in Libellum de Vita ac morte Prophetarum.* Exstat haec Comm. in *Opp. Latt. Cl.* 3ae *Inst. Reg. Belg.* tom. V, Amst. 1833.

P. 23. lin. 6. *Ne dicam — admittebat.* Vidd. dicta in *Bibl. Crit. Nov.* V, p. 362—365.

P. 23. lin. 14. *In mentem — rationem.* Vid. *Bibl. Crit. Nov.* V, 361—423.

P. 23. lin. 10. a f. *hoc demonstraturus — antiquius.* Vid. *Comm. in lib. de vita* cet. l. l. p. 167. Huius in OBADIAM Commentarii non nisi *Schema*, ut aiunt, HAMAK. reliquit.

P. 23. lin. 9. a f. *Ieremiae et Habacuci vaticinia — non potuit.* HAMAK. Commentarium reliquit in Habacucum, annotatione, ex curis secundis orta, marginique adscripta, instructum. Commentarium enim nondum elaboraverat iterum. Partem tantum *Prolegomenorum* conscribere inceperat. Vid. *Comment.* laud. p. 188, in qua p. 5 et 17, eius etiam Commentarii mentio fit. Hic vero et alter ille in 30 priora *Ieremiae* capita Commentarius, fore ut edantur, speramus.

P. 24. lin. 13. *In ipsa v. c. Germania.* Germaniam modo commemoro, quia haec praecipua huius Studii est sedes. Quam turpiter illud aliis in Regionibus, quin in Anglia etiam, hoc tempore negligatur, HAMAK. breviter declaravit in *Bibl. Crit. Nov.* III, p. 312 seqq. Quomodo autem Critica V. T. instituenda sit, ac revera ab HAMAKERO institui soleret, egregie adumbravit Cl. WEYERS. in Orat. L. B. anno 1833 habita *de Literarum Semiticarum disciplina tota et prudenter ac cum animi ardore colenda*, p. 14—20. (in *Ann. L. B.* 1833—1834).

P. 25. lin. 5. *Itaque* HAMAKERO — *Scriptiones.* C. A. CREDNERI libellum intelligo de *Proph. Min. Vers. Syr. indole* Gött. 1827 8°; HIRZELII Diss. in *Pent. Syr.*, *ex versione, quam Peschito vocant* 8°. (*Bibl. Crit. Nov.* III, p. 312 seqq.) et ROEDIGERI, *de origine et indole Arabicae librorum V. T. historicorum interpretationis*, Hal. 1829 4°.

P. 25. lin. 14. *Iustum — perspexerunt.* In primis hoc elucet ex Commentariis postea edendis. Conff. etiam loci passim obvii in *Comment. in lib. de Vit.* cet. v. c. p. 25 seq. In hanc criticam Codd. LXX versionis disquisitionem ibidem incidit, quia variae libri, quem explicat, recensiones ex Codd. huius versionis corruptae erant.

P. 25. lin. 17. *Quam docte — agitavit!* Vid. *Comment.* laud. p. 16—21, ex qua argumentatione sequitur, HAMAKERUM statuisse, *Tetrapla* Opus esse *Hexoplis recentius, neque ab eo magnopere diversum*, duabus modo columnis, quae geminum ordinem Hebraicum exhibebant, in illo omissis, ac paucis in nova illa recensione immutatis: quo probato, Tetrapla *Hexaplorum compendium* exhibent, in communem Ecclesiae usum, ut videtur, paratum.

P. 25. lin. 18. *Quam accurate — exposuit!* Conf. *Comment.* laud. p. 4, 16 seqq., ubi docemur, Codicem illum non accuratam *Hexaplorum* referre imaginem, cum alii libri ex Hexaplis, alii ex Tetraplis sint desumti (p. 19).

P. 25. lin. 19. *Quin uberius — potuisset.* Ipse hoc fatetur HAMAKERUS l. l. p. 17, 20. — Iterum si in Italiam excucurisset HAMAKERUS, sine dubio etiam Codicem Chisianum, qui eiusdem fere est recensionis, atque Codex Syro-Hexaplaris (p. 20), conferre conatus fuisset. — Gaudemus interim Codicem hunc Ambrosianum magis innotuisse, edito Opere HENR. MIDDELDORPFII, Prof. Wratislav., cui titulus est: *Codex Syro-Hexaplaris. Liber 4us Regum, e Cod. Paris.; Iesai. 12 Proph. Min. Prov. Iob. Cant. Threni, Eccl., e Cod.*

Mediol. Edidit et comment. illustravit H. M. *Pars I, text. Syr. Pars II, Commentarii*, Berol. 1835, 4°. Historiam Codicis Syro — Hexapl. diligenter persequitur in praef. p. I—IV, illam vero HAMAKERI Commentationem ignorat. Hoc etiam dolendum est, Editorem ipsum Codicem non inspexisse, exemplis modo utentem, ex illo descriptis. Neminem tamen non probaturum esse existimo eius diligentiam in Ed. Holmesiana conferenda.

P. 25. lin. 5. a f. *Haec tamen* cet. Conf. v. c. *Bibl. Crit. Nov.* V, p. 362.

P. 25. lin. 4. a f. *Sed ipsius Popularibus, quorum cet.* Legg. in primis, quae dixit Cl. BAKE in sermone Academico, quem brevi post mortem HAMAKERI in scholis habuit, moxque edidit.

P. 26. lin. 6. *Principatum Ionathanis et Simonis.* Conff. *Misc. Phoen.* p. 156—162.

P. 26. lin. 17. *Omnia monumenta — haurit.* Vid. v. c. *Commentatio* laud. p. 102 seqq. et p. 130.

P. 26. lin. 20. *Chronologiae studium* Vid. *Comment.* laud. p. 124 et *Misc. Phoen.* l. l.

P. 26. lin. 26. *Illa autem — profecit.* Leg. disp. de *Gilgale* (*Comment.* laud. p. 54 seqq.), de *Gibeone* vel *Gibea* (p. 24—27), de *Abel Beth Maächa* (p. 142—147), de *Maresa* (p. 157—160), de *Sichemo* (p. 165 seq.) de *Beth — Car* (p. 194), de *sepulcro Ezechielis* (p. 118) et *Danielis* (p. 135 seqq.) — Eiusmodi notas, historiam et Geographiam V. et N. T. illustrantes exhibet etiam HAMAKERI annotatio, Diss. meae (de *Amoso* L. B. 1828, 4°) addita: v. c. de *Thekoa* p. 35 seq., de *terrae motu sub Uzzia*, et fonte *Rogel* cet. p. 37 seqq., de *Bethabara* p. 41—43, de usu vocis *Iavan* in V. T. p. 45—47.

P. 26. lin. 27. *Quam ut illustraret — contulit.* HAMAKERI notitiam non modo de Scriptis V. T. et *Deuterocanonicis*, quae dicuntur, verum etiam de *Pseudepigraphis* FABRICII, de FLAVIO IOSEPHO, BENIAMINE TUDELENSI, aliis, haud fuisse vulgarem, exinde cognovimus.

P. 26. lin. 3. a f. RELANDI. — De Operibus, seculo superiore ad Geographiam *Biblicam* et *Palaestinae* illustrandam a Nostratibus editis, vid WILLMET *Schets* l. l. p. 168 seqq.

P. 26. lin. ult. — *Horum errores — emendat.* Praeter disp. de nominibus propriis, modo laudd. (in quibus non levis est momenti disp. de *Gilgale*, ubi sermo est de *urbe* et *sacris*; et disp. de *Gibeone* vel *Gibea*, quae diversa eiusdem urbis nomina fuisse ostenditur), conff. dicta de *Thisbe* (p. 39—41), de *Abel — Mehola* (p. 48 seqq., 141 seqq.) de triplici *Emmaünte* (p. 170—174), cet.

P. 26. lin. ult. *Nomina Propria — tradit.* Ex multis exempli loco sint dicta de cognominibus, *Sichemo* tributis (ibid. p. 165 seq.) de *Bethabara* (p. 121, coll. p. 185 seq.).

P. 27. lin. 19. *Qua sententia* cet. Vid. *Comm.* laud. p. 42—44, 50 seqq., 152 seqq.

P. 27. lin. 22. *ne de aliis — loquar.* Vidd. dicta v. c. de *piscina Gibeonis*, l. l. p. 96.

P. 27. lin. 24. *Qua in causa suis licet* cet. OLSHAUSENUS libellum edidit: *zur topographie des alten Jeruzalem*, Kiel 1833 8°. FRID. GOTTL. CROME *Geogr. hist. beschreib. des*

landes Palaestina I vol. *Geogr. beschr.*; etiam sub titulo: *Beschreib. des landes Syrien*, I th. 1e abth. *das südliche drittheil oder des land Palaest.* Gött. 1834, 8°. CAROL. VON RAUMER *Palaestina* Leipz. 1835, 8°.

P. 27. lin. 26. HAMAKERI *observationes de — disputationem.* De fonte *Rogel* et *Siloa* vidd. *Comment.* laud. p. 69—79; de *piscinis* et *aquae ductu* p. 79-93, ubi etiam p. 81—90 de situ *Bethesdae*, eiusque piscinae *origine* et *natura*; de *sepulcris* in *valle Iosaphati*, p. 67—69; de *regum sepulcris* p. 93—96; uti etiam de loco, quem Arabes dixerunt *Mihrab David* in Diss. Cl. WEYERS., supra laud., ubi HAMAKERI exstat de eo annotatio p. 127.

P. 27. lin. 4. a fine. *Cum studio — videmus.* De N. T. hoc passim apparet; de *hist.* vero *Veterum Christianorum literaria* cf. v. c. disput. de DOROTHEO *Comm.* laud. p. 13 seqq.

P. 28. lin. 1. *Illud enim — Hebraicum.* Fontem esse *Hebraicum*, passim docetur, v. c. p. 11, 12, 33, 35, 61, 115, 123, 127 seq., 134 seq., 177 seq. *Graecis* eum esse *multo uberiorem* p. 220. De huius Libri antiquitate, quae certo definiri nequit (p. 99 seq.) ipse quoque disputavi in Diss. *de Amoso* p. 23—26 et in annot. p. 13 seq. De *dicendi ratione* vid. HAMAK. l. l. p. 131, 135, 201. — De ORIGINE, p. 21; de EPIPHANIO, p. 6, 13, 21, 220; de DOROTHEO, qui *latine* videtur scripsisse (p. 16, coll. p. 29), conff. p. 6 et 7—10, 13 seqq. Quatuor, quae ex libro Hebr. ortae sunt, recensiones sunt sequentes. Recensio *Epiphanii* et *Dorothei*, quarum illa *plenior*, haec *brevior* est (p. 28, 97, 149, 189). Tertia exstat in Cod. Augustano, a quo Codex Florent. parum differt (p. 4). Quarta continetur Cod. Graeco Leid. inedito, qui est Cod. Vossii 46, (p. 5, 10, 13), quo HAMAK. in Epiph. libro explicando egregie usus est. Recensio Dorothei, ut Codici Syro-Hexaplari, sic Codex Leid. recensioni Epiph. propius accedit (p. 188, 191 seq.), ita quidem ut Cod. Leid., quamvis hic glossis passim corruptus sit (p. 101), saepe inserviat recensioni Epiph. restituendae (p. 116 seq., 123, 128, 132). Historia huius *de vita et morte Prophetarum* Libelli traditur p. 2—5.

P. 29. lin. 6. *Sed, veluti olim in Patria nostra.* Conff., quae supra observavimus de temporibus ERPENII et GOLII, pag. 49 seq.

P. 29. lin. 16. *in quo explicando, quae — conferebat.* Animo obversatur egregium illud Opus, ex fontibus Armeniacis haustum: ST. MARTIN *Memoires hist. et géogr. sur l'Armenie*, Paris 1818 — 19, 2 voll.

P. 29. lin. 21. *Inquirens in quaestionem* cet. Vid. nota HAMAKERI subiecta Diss. Cl. WEYERS. laud. p. 100 seq.

P. 30. lin. 1. *Hi fructus fuerunt* cet. Inspiciantur modo *Misc. Phoen.*, atque Censurae HAMAK. in *Bibl. Crit. Nov.* Etiam ea, quae monuit de Operibus, nuper editis ad rem Arabum Numismaticam illustrandam (vid. P. O. VAN DER CHYS *tijdschrift voor algem. Munt en Penningkunde*, Leid. 1833, 2 St., p. 163—167). — Seculo superiore RELANDUS etiam nummos quosdam Arabicos explicuerat in Diss. de *gemmis Arab.* (in *Diss. Misc.* III. Trai. 1706 - 8 Oct.) Iam antea egerat de *Marmoribus Arab. Puteolanis* cet. (Amst. 1704, 8°). Nummos autem

Veterum Hebraeorum explicuit deinde in 5 Diss., quas edidit cum tabulis aeri impressis Trai. 1709. De hac ed. Saxius in *Bibl. Saxiana* (anno 1806 divendita) I, p. 243. N. 1193: *haec*, inquit, *Sylloge raro integra occurrit. Omnia ferme, quae vidi, exempla tribus Diss. constant. Ceterae vulgo desunt.*

P. 30. lin. 19. *quid Anglicae genti* cet. Scripta intelligo, quae cum in India, Calcutae et Bombayi, tum in Anglia eduntur. Ex Peregrinatoribus cuique sine dubio, ne alios commemoremus, in mentem venit ALEX. BURNIUS, cuius *Itinerarii* Anglice editi, versio Germanica prodiit anno 1834 (*Reisen nach und in Bokhara, unternommen auf befehl der Obersten regierung Ostindiens* 1831—1833 Weim.); Gallica vero (*Voyages de l'embouchure de l'Indus a Lahor, Caboul, Balkh et a Bouckhara* cet.) Paris. 1835, 3 voll. 8º. Huius autem aliorumque operae hoc etiam debemus, ut nostra de Regno Bactriano, olim ex Graecis Scriptoribus minus cognito, notitia in dies augeatur.

P. 31. lin. 8. *Quam ob causam Turcarum Persarumque, Tatarorum* cet. De Studio HAMAKERI in Literis Persicis et Turcicis collocato testatur *Catal. Bibl.* HAMAK. *partis* p. 110, (N. 9), 112 et 115, (N. 30 et 31), 118, (N. 8), 119, (N. 17 et 18), in primis vero p. 117, (N. 4), ubi *voluminis* fit mentio, 600 *fol.*, in quo HAMAK. *initium fecit colligendi vocabula Persica ac dictiones, quae in Lexicis non reperiuntur cum eorum interpretatione et auctoritatis citatione, ordine Alphabetico, secundum seriem pagg. Lexici* RICHARDSONI, Lond. 1806. De Turcicis conf. prae aliis Censura Operis I. KLAPROTHI, cui titulus est *Asia Polyglotta* (*Bibl. Crit. Nov.* I, p. 183 seqq.) Ibi, v. c., profligatur quaestio Historiae O. gravissima, KLAPROTHUM inter et SCHMIDTIUM olim agitata, de *Uiguris*; quos hic a Tibetanis et Tangutanis non distinguit, ille vero ad Turcas recte refert. Hanc KLAPROTHII sententiam HAMAKERUS ibid. ita confirmat, ut nullum ea de re dubium amplius supersit, idque etiam constet, Uiguros, literis suis Mogolis traditis, artem scribendi hos docuisse (p. 189 seqq.). Illud ut demonstret, ad linguae Uiguricae indolem ac rationem dedita opera ac magna cum eruditione attendit, eiusdemque cum linguis Turcicis tum convenientiam, tum discrimen, inter illas conspicuum, acute admodum observat. Quae ut explicet, egregie utitur Codice Leid., *Lexicon* exhibeante *Djagataicum* (p. 188, 198 seqq.) — Uigurorum *historia*, tenebris obvoluta, ibi quoque, multorum Byzantinorum aliorumque Scriptorum locorum comparatione instituta, illustratur, eorumque Scriptorum, quae videtur, dissensio, variarum sedium, quas Uiguri variis temporibus tenuerint, ratione habita, tollitur (p. 193 seqq.) Ubique HAMAK. ea in Censura ostendit, se in *Tataricis* etiam non esse hospitem: vid. v. g. p. 198 seqq., in primis interpretatio locorum ABOULGHAZII BEHADURKHANI (p. 218 seqq.). In his explicandis usus est *Lexico Tatarico MS.* Haec ceterum, si subsidiorum paucitatem spectes, eo, maioris pretii habeantur. — *Turcarum* Literae, quamvis earum studium minus conspicuum sit ex Scriptis a Nostratibus editis, ab his tamen numquam prorsus negligebantur. Litt. O. O. Professores in Acad. L. B. semper erant interpretes Epistolarum, quas Turcarum Imperator, a

Dynastae Algeriani, Tunetani, Tripolitanique ad Reip. nostrae Moderatores mitterent, quaeque in Bibl. Leid., addita interpretatione, servantur. GOLIUS praesertim Turcicis aliisque Asiaticis linguis eminuit. *Lexicon* hic conscripserat *Turcicum* et *Malaicum*, cuius MS. reperitur Dublini. Non tantum vero L. B., verum alibi quoque in Patria nostra hae literae colebantur. H. RELANDUS et N. G. SCHROEDERUS in Operibus suis eius rei specimina dederunt. Quod, ut de SCHROEDERO, *Persicas* Literas quoque diligenter colente, apparet ex *Catal. Partis alterius Bibl.* eius, Groningae anno 1834 divenditae (conff. de utriusque linguae studio, N. 9, 10, 15, 21—25), ita etiam ex *4 prioribus capp. Geneseos*, *Turcice et Latine*, Lips. 1743 4° speciminis instar editis. Consilium enim inierat, quod tamen deinde Groningam vocatus, missum fecit, omnium Librorum Sacrorum et Apocryphorum edendorum. Quorum versionem, quam debemus ALB. BOBOVIO, WARNERUS, notis instructam, sec. 17° iam edere constituerat; edidit vero postea Societas Biblica Anglica. Vid. WILLM. *Schets* l. l. p. 192.

P. 31. lin. 18. *Si omnibus harum Literarum Patronis* cet. »RUHNKENIUS," inquit Cl. GEEL (*Anecd. Hemsterh.* L. B. 1825 praef. p. IX et X), »in *Elogio* de multiplici doctrina »agens, qua HEMSTERHUSIUS sibi viam ad artem criticam muniverat, literarum O. O. mentio»nem omisit, in quibus tamen hic adeo non hospes fuit, ut eius Schedulae multos contineant »Arabicorum Scriptorum et Sacrorum Librorum locos, qui in tempore et ex multa lectione com»mentanti in mentem venisse videantur, atque tum in his, tum in Syriacis, Armeniacis, »Aethiopicis, quibus ad multa antiquitatis capita explicanda et imprimis ad glossas Isidori in»terpretandas usus est, scripturae firmitas et elegantia manum prodat, istis literarum formis »exarandis assuetam." — Haec Literarum O. O. peritia quanta, quamque multiplex, Doctisque in Patria Viris quantopere nota fuerit ex Albo cognovimus, in Bibl. Franeq. servato et a Cl. DE CRANE (*Bijzonderheden de familie van Hemsterhuis betreffende*, Leid. 1827 8°) ad publicam notitiam perlato. Ex testimoniis Virorum Cl., quae Albo illo continentur, videmus eum praeterea *Persice* et forte *Malaice* fuisse doctum (ibid. p. 36 seqq.). In Scriptis eius iuvenilibus illius Litt. O. O. peritiae indicia quodammodo quidem conspicua, attamen rara sunt, ut in *Animadvv. ad Pollucis Onomasticon*, rariora deinde in *Aristophanis Pluto*, ac nulla fere in Scriptis reliquis. Hanc enim eruditionem dissimulans, in Graecae antiquitatis recessus postea ita penetravit, ut Literas O. O. parum curaret, ac tandem in arcto Graecarum et Latinarum ambitu subsisteret. Quae causa fuit, ut illae HEMSTERHUSII laudes paulatim in oblivionem abirent, et ab ipsis Nostratibus, ne data quidem occasione, commemorarentur (p. 51 seq.). Probandum itaque magnopere Cl. GEELII consilium (praef. p. XXVII seq.) HEMSTERHUSII de L. L. O. O. animadversionum in altero *Anecd. Hemsterh.* tomo edendarum: et consilium illud ut Vir Cl. exequatur aliquando, optandum vehementer.

P. 32. lin. 6. *ut cum* RUHNKENIO *loquar.* Locus exstat in Comment. ad Timaeum (ed. 1, p. 77, ed. 2, p. 106), et laudatur ab HAMAK. in *Lectt. Philostr.* L. B. 1816, praef. IV, ex qua ea, quae h. l. dixi, maximam partem cognovi.

P. 32. lin. 8. *Vita Apollonii — dignissima.* Haec *Apollonii Vita* non unam ob caussam est dignissima, in qua Eruditorum opera collocetur. Ut *Philologis* sese haec commendat rerum copiâ, quibus hi ingenium criticum possint acuere, ita iis etiam, qui in *Historiam Philosophiae* eorum temporum accuratius inquirant, ex eaque *Theologiae* studium exornent. Tunc enim Pythagoricae doctrinae Sectatores magnas partes agebant, Pythagorae placita non integra, sed ei aetati accommodata, docentes. Magna nempe in eos etiam, qui ad Gentium sacra adhaerescerent, religionis Christianae erat auctoritas. Cuius summam praestantiam cum haud pauci eorum quodammodo perspexissent, hi nonnulla sibi ex ea delibanda esse censebant. Hinc cum in PORPHYRIO et IAMBLICHO, tum in PHILOSTRATO religionis Christ. in cogitandi rationem efficacia non conspicua esse non poterat. Hicce autem (Philostratus maior) novam illam doctrinam Pythagoricam conditam latius propagare simulque Syncretismo favere cupiens, eam *Apollonii Tyanensis* Vitam descripsit. APOLLONIUS nempe sic dictus a Cappadociae urbe, ubi natus erat, Augusto regnante, et per EUXENI disciplinam Neopythagoricae doctrinae amore penitus imbutus, longissima deinceps per Graeciam, Italiam, Hispaniam, Aegyptum, Aethiopiam, perque mediam Asiam in Indiam usque itinera fecisse, maximamque et placitis suis consiliisque, quae meditaretur, ac miraculis etiam et vaticiniis nominis celebritatem sibi comparasse fertur. Quam cum vivus iam nactus fuisset, maiorem tamen mortuus consecutus est. Quod cum testantur Scripta, quae de eo ante Philostratum iam ferebantur, tum nummi quoque in eius gratiam cusi, tum cultus divinus, quo postea donatus est. Quum enim in eius honorem sacra instituta essent ac templa condita, Alexander Severus, hunc una cum Abrahamo, Orpheo, ipsoque I. C. suos inter Penates retulit. Quo facto, Iulia, Alexandri Severi Uxor, Philostrato persuasit, ut *Vitam* illam conscriberet. Eam ipsi tradidisse, perhibent Scriptum *Damidis* cuiusdam Assyrii, Apollonii olim itineris socii, quem hic Ninive cognitum, sibi deinde in perpetuum devinxerat. Hoc autem Scripto aliisque, quos habuerit, fontibus quin libere usus sit, nemo fere dubitat; quodnam vero eius in eo Opere condendo fuerit consilium, inter Eruditos minime constat, nec facile, fontibus deperditis, certo effici potest. BAURUS (*Apollonius von Tyana und Christus* Tub. 1832 8°) naturam attendens, quae Apollonio ibidem tribuitur, sublimiorem cum humanâ coniunctam, variasque eius vicissitudines agendique rationem ac miracula et vaticinia, cum iis, quae de I. C. narrantur, in multis quodammodo convenientia, Philostratum hoc voluisse suspicatur, non, quod antea nonnulli existimaverant, ut librum ederet, quo Christianos *peteret maligne*, sed ut Euangeliis Scriptum opponeret ἀνάλογον. Hanc vero sententiam improbavit RITTERUS (*Geschichte der phil.* vol. IV, Hamb. 1834, p. 491 seq.). Cui licet assentiendum sit, Apollonii Vitam deditâ operâ non ita a Philostrato exornatam esse, ut alia prorsus, atque fontes, quos consuleret, tradiderit, hoc tamen verisimillimum esse videtur, ea, quae de Christo, *cum Apollonio tunc temporis culto*, ferebantur, Philostrato quippe sine dubio cognita, *aliquam* saltem in ipsum, *libere* illis fontibus *utentem*, vim habuisse. Dignissima sunt, quae legantur de hac quaestione dicta in Opere edito a Viris Cl.

I. C. ERSCH. et I. G. GRUBER, cui titulus est: *Allgem. Encyclop. der Wissenschaften u. kunste* IV, in voce *Apollonios von Tyana*, p. 440 seqq.

P. 32. lin. 10. *Reliqua Opera* cet. Observationes de *reliquis* etiam illis *Opusculis* HAMAKERUS partim annotationi *in Vitam Apollonii* inserere, partim una cum animadversionibus in EUSEBII adversus HIEROCLEM librum et epistolas Apollonii ad Libri calcem adiicere volebat. In uno, qui prodiit anno 1816, fasciculo HAMAKERUS ad finem libri quarti *Vita Apollonii* processit. Opus inceptum, si otium ipsi fuisset, lubenter ad finem perduxisset. Apparatum enim in reliquam huius Operis partem Iuvenis paraverat. Hunc vero postea inspiciens, eum, antequam ederetur, iterum elaborare, digerere saltem, meliusque redigere cupiebat.

P. 32. lin. 16. *futurum — Vindicem.* Vidd. *Lectt. Philostr.* p. 10, 15—22, 50 seq., 56, 59 seqq.

P. 32. lin. 24. *Recordamini — Censuram.* Vid. *Bibl. Crit. Nov.* IV, p. 372 seqq. Quaenam hac Censura contineantur, sequentia doceant: 1° *historiam* tradit *literariam* TZETZAE Operum, p. 375—379; 2° *ineditam* eiusdem *epistolam*, in quam breviter commentatur, p. 379—381; 3° de *versu politico* doctissime disserit, p. 383—388; 4° *loci nonnulli* explicantur, *narrationumque fontes* indicantur, p. 389—396; 5° *Errores* in textu emendando et illustrando, a KIESSLINGIO commissi, emendantur, p. 397 seqq. — HAMAKERUS suam TZETZAE *Chiliadum* editionem et Scriptis eius *ineditis* augere et *labentis Graecitatis Indice* instruere cogitaverat. Huic *Indici*, cum ex *Epistolis*, tum ex *Chiliadibus* depromto, difficiliorum vocabulorum et loquendi formularum explicationem addere: *inedita* vero, postquam huius editionis parandae consilium, et aliis de causis, et editione KIESSLINGII cognitâ, missum fecerat, separatim edere voluerat.

P. 33. lin. 15. *Attendant — emendatum.* Conf. Diss. mea *de Amoso* in annot. p. 40 seq,

P. 33. lin. 23. *Agimus vero — disputanti.* Vid. *Bibl. Crit. Nov.* V, p. 315 seqq.

P. 34. lin. 19. *Oratione habita* cet. Edita est Oratio cum Annot. Leov. 1816 4°, deinde iterum in *Ann. Acad. Gron.* 1815—1816.

P. 35. lin. 17. *Namque Graecis Latinisque* cet. Vid. Cl. UYLENBROEKII Diss. de *Ibn Haukalo* Praef. p. VII—IX, eiusdemque Oratio, L. B. 1822 habita, *de Astronomiae conditione apud Arabes, aliasque Medii Aevi gentes* O. O. (in *Ann. L. B.* 1822—1823). De Arabum in Astronomia meritis egit quoque WILLM. in Or. *de retin. antiq. Bat. in Litt. O. O. gloria*, p. 54 seqq. Quid enim ex editis Arabum Scriptis Disciplinae Severiores lucrentur, novimus ex *Elementis Astronomicis Alfragani*, a I. GOLIO, Mathematico etiam, Amst. 1669 editis et Commentario illustratis, in quo ex IBN YOUNOSO hic nonnulla quoque refert. IBN YOUNOSI editionem integram deinde parare susceperat WILLMETI Discipulus, rerum Mathem. Astron. et O. O. L. L. peritiâ insignis, ANT. IAC. BEUSECAMPIUS, repentina morte sublatus. Notitias de hoc Scriptore tradidit, eiusdemque Operis, omnium maxime celebrati, argumentum accu-

ratissime ex Cod. Leid. adumbravit postea CAUSSINUS (Not. et Extr. VII, p. 16 seqq.). — De eo praeterea aliisque praeclaris Arabum Astronomis copiose exposuit, qui prae ceteris legatur, DELAMBRE, *Hist. de l'Astronomie du Moyen Age* Paris 1819 4°, cum in praef. passim, tum praesertim p. 1—190. — Ex *Medicorum* Operibus S. F. I. RAVIUS Operis IBN TEIFASCHII, quod antea totum edere cogitaverat, Excerpta edidit (*Descriptio et Excerpta libri Ahmedis Teifaschii de gemmis et lapidibus pretiosis*, Trai. 1774 4°). Iam antea REISKIUS L. B. 1746 ediderat *Miscellaneas aliquot observationes Medicas ex Arabum Scriptis*, auctas postea sub titulo: *Opuscula Medica ex monumentis Arabicis* in ed. GRUNERI. Vid. WILLM. *Schets*, l. l. p. 187. — De Opera, ab Arabibus in *Chemia et Hist. Naturali* posita, in primis audiatur praeclarus harum rerum iudex H. BOERHAAVE (*Elementa Chemiae* L. B. 1732 4°, I, p. 15 seq.). S. I. BRUGMANSIO autem ita fuit persuasum, Arabum Scripta haud pauca, his Disciplinis excolendis cognitu digna, complecti, ut Arabicam linguam discere inceperit, ab eiusque studio aliis tantum occupationibus postea avocatus sit. Vid. Cl. H. C. VAN DER BOON MESCH, *Lofrede op Seb. Iust. Brugmans*, p. 133.

P. 36. lin. 8. *Campus profecto vastus — ausi fuerant.* Inter Exteros v. c. fuerunt PFEIFFERUS (*Opera omnia* Trai. 1704 4°) et, qui Veterum Persarum Libros Sacros seculo superiore interpretari aggressus est, ANQUETILIUS. *Persica* olim a Nostratibus non intacta relicta esse, testantur cum *Gentiana Saädi Gulistanis* editio (quae prodiit Amst. 1655 fol.; et latine cum notis et figuris ibid. 1682 12°), tum aliorum etiam lucubrationes. In his recenseantur WARNERUS (*Proverbiorum Persicorum Centuria collecta et versione notisque illustrata.* L. B. 1644 4°). L. DIEVUS (DE DIEU *Rudimenta linguae Persicae. Accedunt 2 priora capp. Geneseos ex Persica translatione Iacobi Tawusi*, L. B. 1639 4°, et *Hist. S. Petri Persice et Latine cum notis; et hist. Christi, Persice conscripta a P. Hier. Xavier, latine reddita et animadverss. notata.* L. B. 1639 4°); MILLIUS (*Rud. ling. Pers. hodiern.*, cet. in *Diss. Select.* L. B. 1743 4°, p. 489 seqq.) et RELANDUS (*Orat. de lingua Persica et cognatis Literis O. O.* Trai. 1701 4°; Diss. *de reliquiis veteris ling. Pers. et de Persicis vocabulis Talmudis:* Diss. 8 et 9 in *Misc.* II). In primis I. GOLIUS, cui debemus *Lexicon Persicum*, Castellii Lexico praefixum, et, quae, numquam edita, Dublini servantur, *Lexicon Persicum*, *Turcico Commentario et Golii observv. ornatum;* eiusdem praeterea *Versio lat. Diwâni Hafizi et Carminum Djamii*, uti etiam *Collectio Adagiorum Persicorum* et *Gramm. Persica*, cui titulus est *Danistan.* Vid. WILLM. (*Schets*, l. l. p. 194 seq.), qui (p. 197, 201) item docet RELANDUM et GOLIUM *Sinensium* linguae etiam studuisse. MILLIUS denique *Indorum* linguis quoque studuerat, editis Diss. *de lingua Hindustanica* (*Diss. Sel.* p. 454—488) et *Etymologico Orientali harmonico*, *lat. Hindust. Pers. et Arab.* (l. l. p. 510—621). HENR. ALB. SCHULTENS. porro, auctore IONESIO, quocum in Anglia familiariter aliquamdiu versabatur, Persicarum Literarum amore captus, his, earum studio aliis negotiis intermisso, totum deinde se tradere constituerat (KANTELAAR *Lofrede* supra laud. p. 77 seq.). Supra

etiam de N. G. SCHROEDERO vidimus, Persicas Turcicasque Literas pariter atque Semiticas colente. — Illas vero linguas Asiaticas non adeo tractabant olim, ut exinde *generalem*, quae dicitur, *linguarum Grammaticam* exornarent, sed partim, et quidem plerique, ut harum gentium Literis operam darent; partim, ut quadam earum notitiâ instructi, et mercaturae et religionis Christianae causae in Oriente prospicerent. Hoc consilium etiam in linguis *Singalica*, *Tamulica*, *Malabarica*, praecipue *Malaica*, colendis conspicuum, aperte cognoscitur ex Operibus editis, quorum seriem exhibuit WILLM. l. l. p. 200—202.

P. 36. lin. 18. *Huius autem Studii* — p 37. lin. 8. *memoria servatur* Vidd. HAMAK. *Akadem. Voorlezingen*, p. 2 et 3 et totum argum. Orat. prim., praesertim, p. 17—22.

P. 38. lin. 17. *in Oratione* — *de Ferdusio.* Inserta est Operi, cui titulus est *Magazijn voor wetensch. kunst. en lett. verzameld door* N. G. VAN KAMPEN, IV vol. part. 2. Amst. 1825, p. 249 seqq.

P. 38. lin. 4. a fin. *Quamquam hoc ex aliis* — *auspicatus est.* Oratio *de Sacontala* exstat in Opere, cui titulus est *Mnemosyne* ed. a Viris Cl. H. W. TYDEMAN et N. G. VAN KAMPEN, Vol. II, qui est fasc. 12. Dordr. 1823, p. 213 seqq. Oratio de *Guil. Ionesio* in *Ann. Acad.* L. B. 1822—1823.

P. 39. lin. 4. a fin. *Quae convenientia si* cet. Hoc loco de iis locutus sum, quae ipse ex HAMAKERO eo tempore audivi. De nexu linguarum Indo-Germanicarum quam recte iudicaverit anno 1825, novimus ex *Bibl. Crit. Nov.* I, p. 173 seqq.

P. 40. lin. 3. *Homerum v. c. dilexerat* cet. Vidd. quae annotavi ad p. 18. lin. 9. a fine. De rebus *Troianorum* legg. *Akad. voorlez.* p. 3, 4, 219 seqq. De *vocabulis Graecis et Latinis obsoletis* cet. l. l. passim.

P. 40. lin. 19. *Ab istiusmodi ineptiis* cet. Magna in linguis bene comparandis cautione opus esse, HAMAK. iam monuerat in *Bibl. Crit. Nov.* I, 168 seqq. Firmo Grammatices fundamento hanc comparationem superstruendam esse docuit p. 180 seqq. Quae ceteroquin h. l. observavi de HAMAKERI consilio et ratione huius Disciplinae tradendae, HAMAKERUS ipse exposuit in *Akad. Voorlez.*, cum in praef. tum in initio Orat. primae.

P. 40. lin. 22. *Doctrinam de literis affini sono* cet. Haec, eaque, quae paulo ante et p. 41 dixi, scribenti, ob oculos mihi versabatur, quam nuper legeram, POTTII *Censura* postremi HAMAKERI Operis (*Akad. Voorlez.*), quae exstat in *Ergänz. blätt. zur Allgem. Hall. L. Z.* 1836. No. 1 et 2. Quamvis equidem inter tantos Viros tali in causa iudex esse nec possim, nec velim, pietas, HAMAKERO vivo et mortuo debita, alto silentio haec praetermittere non sinit. Fore ut eius Orationes iudicio subiicerentur Viri, harum rerum peritissimi, omnes eius Amici speraverant, at simul iudicium exoptaverant, sine ira et studio, sine acerbitate et intempestiva ironia institutum; iudicium, quod errores indicasset simul et emendasset, quodque, Disciplinae quidem universae ratione habita, neque HAMAKERO *mortuo*, neque *linguae nostrae* inimicum fuisset. Cuius praestantiam et HAMAKERI in his Orationibus habendis *consi-*

lium quicunque perspiciant, aequiorem sine dubio, quam POTTIUS, de illius dictis sententiam ferent. Qui autem easdem cum POTTIO in his studiis rationes sequantur, hi potius fateantur ingenue, multa, si non pleraque, quae HAMAKERUS statuerit, se probare; improbare vero *eius rationes*. Aliâ enim, quâ alii, si HAMAKERUS viâ incedit, haec nonnullos quidem, eum minime in errorem duxit. Tam sano tamque acuto iudicio hic praeditus erat, ut, etiamsi subsidia, probata multis, missa faceret, stulta atque insana, cuiusmodi alii enunciaverint, neque amplecti, neque ipse umquam proferre potuisset. Sed quid plura! Alii enim HAMAKERI, has *Orationes* edentis, causam a quorumdam iudiciorum malignitate et imperitia strenue iam vindicarunt. Prae aliis commemoranda est illius Operis Censura, quae exstat in *Vriend des Vaderlands* vol. X, N°. IV, p. 244—270; N°. V, p. 335—353; N°. VI, p. 403—424. Est haec tripartita. Primo HAMAKERI de universo Grammatices generalis Studio Observationes breviter et perspicue adumbrantur. Deinde, quid HAMAKERUS praestiterit, indicatur, tum hoc Studio Nostratibus commendando, atque in Patria nostra instaurando, tum etiam eo in universum amplificando ac nonnullis quaestionibus melius solvendis: quo facto demonstratur, HAMAKERI *principia*, quae dicuntur, multae licet eius Etymologiae cadant, minime everti, neque eius systema, ut aiunt, quod condiderit, corruere. Postremo Animadversiones in locos nonnullos traduntur, quâ opportunitate, dum Vir Doct. quaedam emendare conatur, POTTII praecipue dicta merito perstringuntur, nec raro felici cum eventu enervantur.

P. 40. lin. 4. a fin. *Quod autem in Anglis* cet. Vidd. etiam dicta in *Bibl. Crit. Nov.* I, p. 173 seq.

P. 41. lin. ult. *Duorum Operum iam fere absolutorum.* Conff. *Akad. Voorlez.* p. 5. De studio HAMAKERI posito in lingua Sanscritica eiusque dialectis conf. *Catal. Bibl.* HAMAK. *pars* p. 114. (N°. 29), 115 (N°. 31 seqq.) et 119 (N°. 19); et quaestio literaria ab HAMAK. anno 1835 proposita in consessu societatis Harlemensis (*Algem. konst en letterbode* 1836, N°. 29).

P. 43. lin. 13. *Suique admirationem* cet. HAMAKERI merita cum a Popularibus tum ab Exteris maximi habita esse, exinde apparet, quod non modo omnium fere in Patria nostra, sed multarum etiam inter Exteros, Eruditarum Societatum fuit sodalis. In his Acad. Scient. Petrop., Societ. Asiat. Paris., Asiat. Britt. cet.

Reliquas HAMAKERI laudes celebrandas aliis lubenter committo. Effici possunt illae et aliunde et ex Orationibus etiam, vernaculâ linguâ conscriptis, quae, in Operibus Miscellaneis omnes fere quippe editae, ut aliquando in unum volumen colligantur, valde optandum est. Veterum Literas, praesertim O. O., in Virorum Doctt. gratiam Scriptis eruditis exornatas, omnibus quoque cultis hominibus his Orationibus commendavit. Septem intelligo, ne repetam, quas supra recensui, de *Sacontala* et *Ferdusio*. — *Over de voornaamste oorzaken der eerste uitbreiding v. h. rijk der Saracenen.* (*Recensent ook der Recens.* 1814, N°. 7 et 8). — *Over den Godsd. Zedel. en Maatsch. invloed v. d. Dichtkunst* (*Mnemosyne* supra laud.

3 vol. Dordr. 1817). — *Over Ossians Berrathon* (*Magazijn voor wetensch. kunst. en lett.* supra laud. I vol. 1 part. Amst. 1822). — *Over den Arab. held en dichter Antar* (ibid. II vol. 2 part. Amst. 1823). — *Over den invloed der Engelsche magt in Indie en der Fransche omwenteling op de Oost. Letterkunde* (ibid. VI vol. 1 part. Amst. 1826). — *Verdediging van den oorspronkelijken geest v. h. Islamisme* (ibid. VII vol. 3 part. Amst. 1827). — *Over den aard der zelfstandigheid, haar gewigt voor geheele volken en bijzondere personen, en hare hooge noodzakelijkheid voor Nederland in het tegenwoordig tijdsgewricht.* Leid. 1831 8o.

Multi de HAMAKERO iam breviter exposuerunt. Prae aliis consulantur in primis Cl. BAKE cum in *Algem. Konst en Letterb.* 1835, N. 46, tum in *Sermone Academico* iam laudato ad p. 25. lin. 4. a fine; et Vir Consult. I. DE VRIES in fatorum Instituti Reg. Belg. enarratione (*Procesverbaal v. d. 29e algem. vergad. v. h. Kon. Nederl. Instituut 29 Aug.* 1836, p. 12—16).

ADDENDA.

In ea, quae in Annotatione p. 52 tradidi de *Epistola, quam, ex Oriente acceptam,* FRIDERICUS MAGNUS *ad* I. I. SCHULTENSIUM, *miserat*, ulterius inquirenti, Vir Amplissimus C. I. WENCKEBACH, integerrimus olim H. A. SCHULTENSII amicus, mihi succurrit. *Duas* mecum humanissime communicavit *Legati Borussici ad* I. I. SCHULTENSIUM *Epistolas*, ex quibus apparet, *Epistolam illam Orientalem* ab HYDER ALY missam fuisse, *Persice* sine dubio exaratam; at *quibusnam figuris*, ipsius Epistolae apographo non conspecto, definire non ausim. Literarum character ex iis fuisse videtur Scripturae generibus, quae Persae cum sua lingua et Islamismo Indiae populis tradiderunt. Enumeravit illa CHARDIN *Voyages* Amst. 1735 4°, tomo III, p. 150. In ea igitur Epistola utrum adhibita sit negligens, implicata et inelegans Scriptura, qua Persae utuntur in conscribendis epistolis, punctis diacriticis haud raro destituta, quam *schekestheh*, id est *fractam* appellant, a Cl. FRID. WILKEN (*Instit. ad fundam. linguae Persicae* Lips. 1805 8°, p. 1, 2), his fere verbis adumbrata; an potius Scriptura ornata et diplomatica, ductibus magnificis lectu perquam difficilis, non liquet. — *Opportunitas* porro et *consilium* epistolae conscribendae aliunde quoque nondum mihi innotuit. Haec vero cogitantem subeunt, quae omnino perpendi merentur. Viri tunc ob animum versantur, aetatis suae ornamenta praeclara. Alter Europam, Asiam alter in sui admirationem abripiens. Rebus strenue gestis uterque clarissimus, ac bellicâ virtute et ingenio pariter insignis. Ille conditum regnum splendidis victoriis stabiliens, tuensque a plerarumque Europae gentium impetu: hic a milite fere gregario admotus summo imperio, quod fortitudine

et prudentiâ sibi paratum, armis deinde feliciter prolatis per magnam Meridionalis Indiae *anterioris*, quae dicitur, partem extendit. *Sultanum* agnoscimus *Mysores*, Anglorum in India hostem infestissimum, eorumque, post victoriam a CLIVIO anno 1756 reportatam, occupatasque Bengalam, Baharum et Orissam, adversarium profecto potentissimum. Quid fecerit, novimus. Ab anno 1760—1769 saevissimum cum Anglis bellum gessit, iisque pacis conditiones sub moenibus urbis, quam vocant *Madras*, ipse tandem praescripsit. Hoc autem tempore eius quoque inter Indos auctoritas in dies crevit. Mahrattis enim mox debellatis, princeps factus est foederis, quod praevalentes huius Indiae partis civitates, ut Anglis resisterent, inierant. Callidae sane horum fuerunt artes in eo foedere disrumpendo, eaeque minime irritae, non vero eius efficaciae, ut heroem nostrum minus audaciorem redderent. Hic nempe anno 1780 bellum denuo Anglis intulit, quod tamen variâ quidem, interdum vero prosperâ fortunâ gestum, filio perducendum reliquit. Mortuus est HYDER ALY anno 1782. Filius, TIPPOO-SAIB, quem Pater, HANNIBAL alter, odium in hostes aeternum iurare iusserat, Patrem bellicâ virtute referens, ei vero ingenii facultatibus impar, potentibusque sociis destitutus, bellum tamen nulla fere cum iactura anno 1784 composuit. Sed anno 1790 hoc rursus exarsit. Anglis, tunc cum Mahrattis ipsum aggredientibus, regni partem dimidiam tradere coactus, alteram anno 1799 amisit, postquam triennio ante hanc cladem ulcisci voluerat. Proelio commisso cecidit ipse ac Mysore ab eo inde tempore in Anglorum redacta est potestatem. Vid. I. MICHAUD *Histoire des progrès et de la chûte de l'Empire de Mysore.* Paris 1801—9. 2 voll. 8°; ubi describitur HYDER ALY et de eius laudibus disseritur I, p. 33 seqq., 73 seqq. II, p. 80 seqq., 125 seqq. — Dicta consideranti haud improbabile est, hunc Sultanum, cognitâ FRIDERICI nominis celebritate, hoc missâ Epistolâ tentare voluisse, sive, ut novum potentemque sibi amicum pararet, Anglis forte mox adversarium; sive, ut eum quoque adiutorem nancisceretur, per quem non minus quam per Gallos, quorum institutione et auxilio fruebatur perpetuo, rem militarem magis etiam ad Europaeorum rationem conformaret. In priore illa Epistola, conscripta Hagae Comitum die 29° Ianuarii anni 1773, Legatus (*Envoyé Extraordinaire*) Borussorum DE THULEMEIER, *Epistolae* illius *Orientalis* mentione factâ, loquitur tantum de tempore, quo ipse I. I. SCHULTENSIUM hanc ob causam adiret, definiendo. Hoc est initium: *Je n'ai pas l'honneur d'être connu personnellement de vous, mais je me flatte cependant, que vous agréez la liberté, que je prends de recourir à vos lumières dans une occasion, qui interesse la curiosité du Roi, mon Maître. S. M. m'a fait parvenir une lettre peu étendue, écrite en langue Arabe ou Persane, dont Elle desire la traduction* cet. In altera Epistola ex eadem urbe missa die 28 Martii eiusdem anni, haec leguntur: *J'ai adressé au Roi la traduction de la lettre de* HYDER ALY, *dont vous avez bien voulu vous charger à ma requisition. S. M. m'a ordonné de vous temoigner le gré, qu'Elle vous savoit de la peine, que vous avez pris, et de vous remettre la Medaille d'or ci jointe de la valeur de 25 Ducats, comme une marque de sa bienveillance* cet.

Quae praeterea dixi p. 52 de Studio, a SCHULTENSIIS in Literis quoque Graecis ac Latinis posito, haec narrantur etiam in *Algem. Konst en Letterbode* 1806, No. 49. Ibidem de *libris* item disseritur *typis expressis*, quos SCHULTENSII annotatione instruxerant, praecipue de *MSS. O. O.* ab his relictis. Utriusque generis libros, exceptis illis, quos Cl. PALMIUS una cum H. A. SCHULTENSII bibliotheca emerat, Curatores Acad. L. B. coëmtos in Bibliothecam L. B. detulerunt. *Duo* ibi commemorantur GOLII et SCAPULAE *Lexica*, ab ALB. et I. I. SCHULTENSIO creberrima annotatione ornata, atque FABRI *Thesaurus*, quo usus erat ALBERTUS.

Haud pauca porro MSS. et Epistolas, tum ad TH. ERPENIUM aliosque, tum etiam ad SCHULTENSIOS missas, atque insignem apparatum Librorum O. O. Excerptorumque, ex Operibus O. O. petitorum, uti etiam Animadversionum in Scriptores Hebraeos et Arabicos maxime, Cl. VAN EERDE olim servabat. Vid. *Bibl. Eerdiana* p. 323, 327 et 328. Pleraque eorum, huius Bibliothecae auctione anno superiore instituta, in possessionem venerunt Viri Amplissimi C. I. WENCKEBACH: in quibus etiam 400 circiter Epistolae, ad SCHULTENSIOS a Viris Doctis olim conscriptae, quas inter duae illae reperiuntur Epistolae, supra commemoratae.

P. 25. lin. 7. *Non enim — omittebatur.* Vid. v. c. Quaestio Literaria ab HAMAKERO anno 1830 in Acad. L. B. proposita: »Obadiae vaticinium historice, philologice et critice il»lustretur. *In diiudicanda autem Veterum Versionum et Codicum varietate, earum quo»que lectionum, quae ceteroquin emendando Codici Hebraeo inservire non possunt, »caussae et momenta, quantum eius fieri potest, diligenter investigentur et exponantur.*"

P. 26. lin. 6. vid. Annot. p. 6. Historiae Hebraeorum Studium HAMAKERUS apud Iuvenes Academicos magis etiam excitare conatus est, hac Quaestione anno 1834 proposita: »Accu»rate lectis IEREMIAE et EZECHIELIS libris edoceatur, quaenam fuerit conditio civilis reip. »Iudaicae, tam interior quam exterior, sub IOSIAE regis successoribus, usque ad excidium »Hierosolymorum, et qualis eo tempore fuerit morum et religionis ratio tum apud Iudaeos »in Palaestina viventes, tum apud exteros, ex iisdem fontibus ostendatur." — Nullum ad duas illas, quas dixi, Quaestiones, responsum praemio dignum a Facultate Literaria L. B. acceptum esse, dolemus; ipsae vero Quaestiones propositae manifesta sunt indicia eius etiam, quod commemoravimus, studii, ab HAMAKERO in OBADIAE et IEREMIAE vaticiniis positi.

P. 31. lin. 18. vid. Annot. p. 70. De L. L. O. O. eruditione TIB. HEMSTERHUSII et LUD. CASP. VALCKENAERII, eiusque rei indiciis, in Scriptis eorum obviis, uti etiam de causa, quae hos claros Viros moverit, ut Literas Semiticas Linguae Graecae illustrandae perraro adhiberent, paucis anno praecedente exposuit Censor Operis HAMAKERI, *Akademische Voorlezingen*, in libro *de Vriend des Vaderlands*, vol. X, No. 6, p. 418—420.

EMENDANDA.

P. 10. lin. 4.	*Publica*	leg.	*Publicae*
P. 12. lin. 25.	*aliorumquae*	leg.	*aliorumque*
P. 25. lin. 26.	*Suam de — locis aperte*	leg.	*Suam de — locis sententiam aperte*
P. 26. lin. 3.	*universa non erudite*	leg.	*non quidem universa erudite*
P. 26. lin. 27.	*Veternm*	leg.	*Veterum*
P. 53. lin. 12.	*digna disciplinae*	leg.	*disciplinâ digna*